DISSERTATIO PRIOR INAUGURALIS DE JURE REFORMANDI ANTIQUO

Ex Ordinatione divina, primigeniâ Eccleſiæ praxi, & continuâ ejusdem traditione deducto,

QUAM

SUBJUNCTIS EX UNIVERSO JURE COROLLARIIS

AUSPICE DEO TER OPT. MAX.

IN ALMA JULIO - FRIDERICIANA WIRCEBURGENSIUM UNIVERSITATE

ANNUENTE INCLYTO SENATU JURIDICO

PRÆSIDE

PLURIMUM REVERENDO, MAGNIFICO, EXIMIO, CLARISSIMO, & CONSULTISSIMO VIRO AC DOMINO,

D. JOANNE CASPARO BARTHEL,

Ss. Theol. & U. J. Doct. Reverendiſs. & Celſiſs. Epiſcopi & Principis Bamberg. & Wirceburgenſis, Franciæ Orientalis Ducis, Conſiliario Intimo & Eccleſiaſtico, Ejusdémque in præfata Univerſitate SS. Can. Profeſſore Publico & Ordinario, Facultatis Juridicæ h. t. Decano, nec non Inſignis Eccleſiæ Collegiatæ ad utrumque S. Joannem in Haugis Canonico Capitulari, & Principalis Seminarii Regente.

Tribus rigoroſis examinibus ritè tentatus & approbatus

PRO SUPREMA DOCTORATUS IN UTR. JURE LAUREA

Publicæ diſquiſitioni ſubjicit

CHRISTOPHORUS PHILIPP. FRIDERICUS BAUER ab HEPPENSTEIN,

Theologiæ Licentiatus [illegible]

Reddite, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari,
& quæ ſunt Dei, Deo. *Matth.* 22. *v.* 21.

REVERENDISSIMO
ET
CELSISSIMO
S. R. I. PRINCIPI,
AC DOMINO,
D. FRIDERICO
CAROLO,
DEI GRATIA
EPISCOPO BAMBERGENSI
& WIRCEBURGENSI,
FRANCIÆ ORIENTALIS DUCI,
&c. &c.

DOMINO DOMINO SUO
CLEMENTISSIMO.

REVERENDISSIME
ET
CELSISSIME
S. R. I. PRINCEPS,
DOMINE, DOMINE
CLEMENTISSIME.

QUod Præsul Apostolici ævi S. Ignatius impensè commendavit, honorandum esse Episcopum, ut Principem Sacerdotum, imaginem Dei referentem, Dei propter Principatum, Christi verò propter sacerdotium, *id Tibi REVERENDISSIME AC CELSISSIME PRINCEPS eò magis deberi intelligo, quò certiùs Te & Magni Antistitis & Magni Prin-*

Principis Ecclesiæ Protectoris munere omni ex parte perfungi, ætas nostra venerabunda admiratur; Quod si enim ea Episcopum omnibus numeris absolutissimum sibi ante oculos ponit, Te singulari gaudio coràm intuetur; Magno quippe Præsuli princeps idea, summáque ratio esse debet, quæ pro condigna Celsitudinis Episcopalis veneratione facit. Nôrat hoc Magnus Carolus Borromæus, de quo Augustinus Cardinalis Veronæ in ejus vita memoriæ prodidit, neminem eo Cardinalium majore in honore habuisse Episcopatum.

De Te glorioso Tanti Patroni Æmulatore posterorum sæcula consignatum accipient, nemini Germanicorum Præsulum altiori, quàm Tibi, in pretio fuisse Episcopalis dignitatis auctoritatem: inti-

miori nimirum mentis perſpicaciâ cum ſan-
Etiſſimo Epiſcopo Saleſio ſtatuis maximam in
eo Dei gloriam, quòd ordo Epiſcopalis ag-
noſcatur, qualis eſt, *operéque ipſo, qualis &*
quantus is ſit, aliis invictè perſuades; hinc
nihil in Te eorum, quæ ſacro huic principa-
tui & plurima & graviſſima incumbunt, de-
ſideratur. Teſtes hujus rei ſunt generales
ordinationes, queis Ducali Celſitudini
Tuæ nihil inde metuens detrimenti aut de-
cerptionis, dignos Altaris ſervitio miniſtros
conſecras. Teſtes electi Epiſcopi, Abbatés-
que, quos venerando ſacrarum cœremoniarum
apparatu novis coronas infulis. Teſtes Eccle-
ſiæ à Te partim munificentiſſimè dotatæ,
partim propriis exſtructæ ſumptibus, quas
magnifico ſacræ majeſtatis ſplendore Deo de-
dicas.

dicas. Teſtes, quos in partem Tuæ vocas ſollicitudinis, Paſtores animarum, quos, dum Clementiſſimâ recreas audientiâ, non niſi ſanctiſſimis inſtructionibus, monitísque verè paſtoralibus ad gloriam Dei proximíque ſalutem fervidiùs zelandam accenſos à Te dimittis; ſeminaria velut diſciplinæ eccleſiaſticæ firmamenta, à Te tam primis è fundamentis erecta, quàm ſaluberrimis legibus communita, cum palam proſtent, nullus commemoro; taceo quoque effuſiſſimam in pauperes, viduas, miſerósque omnes Epiſcopalis curæ notoriam charitatem.

Nefas tamen ſit inter tot eximia, quibus optimum te Antiſtitem præbes, exempla divini verbi miniſterium præterire. Hoc ipſos Apoſtolos cæteris omnibus antepoſuiſſe, hoc priſcos illos Epiſcopos, ſeclu-

ſis aliis, ſibi adſeruiſſe optimè gnarus, aſt ſacro duarum diœceſeon regimine, duplicis Principatûs amplissimi gubernatione præpeditus, miram adinveniſti rationem, non ſolùm ſubditis populis, ſed orbi univerſo, non hiſce modò temporibus, ſed & ſuccedaneis Verbum Dei prædicandi in aureo Tuo ac prorſus laborioſo, ex Sacra Scriptura, conſtanti Traditione ac unanimi Patrum doctrina deſumpto opere, quo in fide vera firmiter inſtituis, ad ſpem chriſtianam vivaciter erigis, & ad charitatem Dei perfectam ardentiſſimè inflammas. Hoc propediem omnium bonorum lætitiâ ac exſpectatione lucem aſpiciet, & copioſiſſimos virtutum Tuarum verè Epiſcopalium radios in ſeram usque poſteritatem transfundet.

Quid

Quid mirum igitur, quòd ſummus in terris Chriſti Vicarius Te rara adeo in veneratione habeat? quid mirum, quòd Te præ reliquis Germanicarum Eccleſiarum Præſulibus multitudine Brevium, litterarúmque Apoſtolicarum prærogativâ honoret, omnique in iis elogio cumulet? quid mirum, quòd Tantas virtutes ſummæ junctas ſapientiæ ultro inveſtiget, ambiátque Purpuræ eminentia? cui tamen penitior Tuæ Celſitudinis Epiſcopalis cognitio & in humilitate paſtorali fundata præcelſi animi magnitudo propiorem vetant acceſſum. Gratulentur itaque ſibi Eccleſiæ Germanicæ in Te Magnum Eccleſiæ Præſulem, ſtudioſiſſimum antiquæ Epiſcopalis auctoritatis Reſtauratorem: gratulentur & ſibi Magnum ſuî & totius Eccleſiæ Protectorem.

)()(

Etorem. Gloriabatur olim Carolus Imperator cognomento Magnus ſpectatiſſimo illo titulo Devoti Eccleſiæ ſanctæ Defenſoris. *Eundem Tibi jure meritiſſimo vindicant nedum ſubjectæ, ſed & omnes Germanicæ Eccleſiæ. Quis enim ignorat, ſapientiſſimis Tuis conſiliis ac efficaciſſimis ordinationibus commiſſas Tibi Eccleſias earúmque religionem à malis jamjam imminentibus hucusque præſervatas eſſe? quis non venerabundus ſuſpicit imperterritam Leonis Schönbornïani fortitudinem in propulſando ab univerſa Eccleſia Teutonica conſiliorum periculoſorum impetu? Scio, quòd Trojæ Victor Agamemnon figuratum in ſcuto Leonem pugnaturus tulerit, ut viſus hoſti terrorem incuteret. Te ſingularis Divini Numinis providentia*

)()(

dentia hiſce periculoſiſſimis temporibus velut Leonem oppoſuit non ſolùm pro publica Imperii Patriæque ſalute, ſed & pro Religionis Orthodoxæ incolumitate, proque juribus Teutonicarum Eccleſiarum retinendis gloriosè pugnantem vincentémque. Erigat proinde triumphalem Tuo honori Eccleſia Alemannica arcum, ad eúmque gemini Leonis emblema affigat, quorum unus Schönborniæ Domui Gentilitius ſupra terram, alter verò intra Zodiaci faſciam in cœlo collocatus cernatur, addito lemmate: Terris dominatur & Aſtris: *ut ſic toti ſecuturæ poſteritati tranſcribat, Te in Imperio non minùs temporali Principatuum dominio ad Eccleſiam candidè & cordatè protegendam uſum eſſe, quàm ſpirituali ampliſſimarum diæceſeon regimine*

velut Magnum Sacerdotem in Domo Dei jugiter refulsisse.

Ne verò & ego demississimo obsecundandi desim studio, in perennaturum humillimi obsequii monumentum Dissertationem de antiquo jure Reformandi scriptam ad Principalem Thronum Tuum, inclinato ad Pedes Tuos capite deponere præsumo, argumentum Tanto Ecclesiæ Præsule, Tanto ejusdem Protectore Principe, ni fallor, dignum, eoquòd venerandæ primorum in Ecclesia Hierarcharum antiquitatis jura explanet, constitutivas Regiminis Ecclesiastici partes defendat, & primarium Christianorum Principum officium in advocatia Ecclesiæ situm distinctè adserat. Clementissimo itaque, quo soles, vultu hanc qualemcumque

purif-

purissimæ submissionis tesseram accipere digneris, enixè rogo, adjungens vota ardentissima, ut per exantlatos pro splendore Hierarchiæ Ecclesiasticæ, nec non pro Ecclesiæ ac Religionis orthodoxæ bono tot glorioſos labores tótque pretioſos ſudores emeritus Præſul & Princeps conſummatiſſimus in terris regiminis, quà proſperrimi, quà longiſſimi, in cœlis verò repoſitæ perennis coronæ præmium conſequaris. Ita demiſſiſſimè vovet

REVERENDISSIMÆ
CELSITUDINIS
TUÆ

Subjectissimus
CHRISTOPH. PHILIP FRIDERICUS BAUER
ab HEPPENSTEIN.

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

Reddite ergo Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & Deo, quæ sunt Dei, digna Reformatore Christo Domino & sapientiæ plena responsio est, quâ utriusque imperii cœli & terræ, potestatis sæcularis & spiritualis limites stabilit, jura ordinat, & jurisdictionem dominiúmque distinguit; atque hæc norma est, secundùm quam præsens dissertatio Jus antiquum Reformandi Religionem dimetitur, hóque partitur in sacri imperii sive regiminis spiritualis potestatem, inque advocatiæ sive circa sacra protectionis authoritatem; priorem pastoribus Ecclesiæ, Episcopis vide-

videlicet & Pontificibus ceu propriam vindicat, posteriorem velut alteram Regiæ gubernationis potestativam partem penes Imperatores, Reges & Principes, qui Christiani sunt, in Ecclesia constituit; utramque ex divina ordinatione, primigenia Ecclesiæ praxi, ejusdem jugi traditione atque solidâ ratione ampliùs deducit, in subsidium accersitâ Doctorum, qui zelo secundùm scientiam & prudentiam utuntur, operâ, pro veritate absque offensione, & pro argumenti gravitate dignitatéque sine fuco conscripta ab authore, qui, sicut supremam Sanctæ Matris Ecclesiæ censuram humiliter agnoscit, sic à te, Benevole Lector, quod rationabile & æquum est, confidenter exspectat.

Vale.

CON-

CONSPECTUS DISSERTATIONIS PRIORIS DE ANTIQUO JURE REFORMANDI

ARTICULUS I.

Religionis notio & ſyſtema Eccleſiæ exponitur.

II.

Exiſtentia & indoles regiminis Eccleſiaſtici oſtenditur.

III.

Jurisdictio Eccleſiaſtica ex legum latione evincitur.

VI.

Viva & publica Eccleſiæ authoritas in dijudicandis fidei & religionis cauſis demonſtratur.

V.

Imperium ſacrum Paſtorum in infligendis pœnis ſpiritualibus comprobatur.

VI.

Gubernationem Eccleſiæ & ſacrum miniſterium nec penes populum eſſe, nec à populo in Epiſcopos, cæterósque Eccleſiæ miniſtros derivari, probatur.

VII.

Diſcrimen adæquatum inter Eccleſiaſticum & Civilem Magiſtratum deducitur.

VIII.

In jure protectionis & advocatiæ officium & poteſtas Principum ſæcularium circa ſacra concluditur.

ARTI-

ARTICULUS I.

Religionis Notio & Syſtema Eccleſiæ exponitur.

SUMMARIA.

I. *Jus reformandi generatim ſumptum poteſtatem dicit diſponendi circa Religionem: Religio verò duo complectitur; internam Fidem, Spem, Charitatem &c. & decentem cultum Dei exteriorem.*

II. *Chriſtus voluit, ut fideles in conſociatione ſive Eccleſia publicam & communem tenerent, profitendi fidem, & Deum colendi normam, non ad cujuslibet arbitrium efformatam.*

III. *Eccleſia ſive congregatio dupliciter ſpectata, ſecundùm internum ſtatum importat ſocietatem verâ fide & charitate conjunctorum; ſecun-*

dùm ſtatum exteriorem, ſocietatem publicâ fidei profeſſione, eorundem Sacramentorum & rituum communione unitorum, ſecundùm quem ſtatum viſibilis eſt.

IV. *Inde rectè concluditur dependentia ejusdem ſocietatis à communi quadam regula cultûs divini, & à præfectura viſibili.*

V. *Corpus Eccleſiæ duas continet partes, Paſtores ſcilicet & plebem Chriſtianam ab iis dependentem.*

VI. *Paſtorum Princeps eſt Chriſtus, primi ei ſubordinati paſtores Apoſtoli, horum alii ex ordinatione Chriſti Succeſſores.*

VII. *Succeſſores Apoſtolorum in paſtorali Officio fuerunt, & adhuc ſunt Epiſcopi.*

VIII. *Quorum poteſtas regendi & paſcendi, evitandæ confuſionis ergo, ad certam limitata eſt Diœceſin, in qua quisque Epiſcoporum caput eſt omnium miniſtrorum inferiorum, cum quibus hierarchiam Eccleſiaſticam conſtituit.*

IX. *Hierarchia iſthæc, in qua eminent Epiſcopi perpetuâ traditione comprobatur, præcipuè ex Seculis Apoſtolicis.*

X. Chri-

X. *Christus, licèt Apostolos pari Apostolatûs donârit potestate, unitatem tamen in iis servari voluit.*

XI. *Principium & radicem ejusmodi unitatis constituit in Petro, cui & facta est singularis præter Apostolatum potestatis & dignitatis accessio, videlicet primatus.*

XII. *Regnum Christi, utpote regnum pacis & unitatis, talem primatum exigit, tanquam unitatis Christianæ centrum, ad quod omnis Episcoporum potestas tenderet: id quod pluribus comprobatur.*

XIII. *Ex his omnibus, in quo sita sit potestas disponendi circa Religionem, & quòd ea annexa sit à Christo Episcopatui, concluditur.*

I. CUratio divinorum, quam Sacerdotium tractat & respicit Imperium, in nostra Germania Jus reformandi communi onomate audit, quod generatiùs acceptum, & de quo impræsentiarum agitur, idem est, ac potestas disponendi circa Religionem; Religio autem, tanquam perfecta Deum colendi ratio, duo essentialiter complectitur. Primum est interna Fides, Spes, Charitas, reliquæ virtutes, & interiora Spiritûs S.

dona ſive chariſmata, quibus homo Deo & Chriſto conjungitur, ſive religatur, conſtituitúrque verus cultor & adorator Dei in ſpiritu & veritate; enimverò quemadmodum Deus eſt Spiritus, ita quoque homo facilè intelligit, non corporeo modo veluti primario, ſed imprimis internâ animi & ſpiritûs veneratione eundem eſſe colendum. Alterum eſt decens & ordinatus cultus Dei exterior, externa nimirum fidei profeſſio, viſibilis Sacramentorum uſus & participatio, vocalis oratio, Verbi divini prædicatio, & reliquorum Sacrorum decora & ordinata adminiſtratio ſive diſpenſatio; ſicut enim anima noſtra, quamdiu in hoc corpore moratur, omnia per portas ſenſuum percipit, eóque modo concipit illa, quo repræſentantur; ita ſummum auxilium eſt, ad dignè percipiendum res divinas, magnificéque de iis ſentiendum, & ad afficiendum iisdem animum, exterior divini cultûs, ceremoniarum & rituum decens & ordinata inſtitutio, dignus Deo apparatus, & eorum ſolemne exercitium, utpote quod rebus ipſis divinis & ſpiritualibus confert auctoritatem, movétque homines magis ad venerationem illarum teſte ipsâ experientiâ, & omnium moratiorum populorum uſu, maximè verò

ipſius-

ipſiusmet populi Judaici olim electi; & quamvis cultus Dei, qui in lege veteri obtinuit, quatenus propheticus & figurativus puréque exterior & corporalis, in lege nova reformatus fuerit, is tamen pro ſtatu Chriſtianorum ſuper terram compoſitus eſt ex exteriori & interiori, corporali & ſpirituali, tranſiturus tandem in purè interiorem & ſpiritualem pro ſtatu electorum in cœlis. Hanc ob cauſam Filius Dei, qui purus ſpiritus eſt, humanam carnem hypoſtaticè ſibi unire, redemptionémque noſtram per eandem carnem & ſanguinem operari dignatus eſt, inſtituendo in rebus viſibilibus Sacramenta, quatenus oſtenderet, cultum Dei non ſolùm in ſpiritu peragi debere, ſed, cum homines ſimul corporei ſint, corporea ſigna, cauſásque ſanctitatis viſibiles, & exercitia religionis exteriora inſimul ordinavit & fieri voluit; ùt ùt ergo cultus Dei interior, & adoratio Dei in ſpiritu & veritate principalior ſit, & veluti religionis fundus atque ſubſtantia; ſicut tamen accidentia plurimùm faciunt ad productionem & conſervationem ſubſtantiæ, & ſine quibus ipſa conſervari non poteſt, ſic inter homines opera cultûs Dei externa decenter & ordinatè peracta, præterquam, quòd

per ſe bona ſint (adorare quippe Deum animo ſimul & corpore ſecundùm nativam hominis conditionem, utpote qui corpore & animo conſtans totus & animo & corpore Deo ſervire debet ac mancipari, maximè eſt laudabile) etiam proficua admodum, imò neceſſaria ſunt, ad promovendum & conſervandum eundem cultum Dei interiorem, ſæpe memoratam videlicet Dei adorationem in ſpiritu & veritate. Proin ritè judicavit S. Auguſt. Lib. contra Fauſtum, ſine externis ritibus & ceremoniis impoſſibile eſſe, ſervare religionem.

II. Certum ulteriùs & indubitatum eſt, quòd Chriſtus nequaquam ſingulis hominibus ſingularem & ſeparatam, & ad cujuslibet arbitrium efformandam credendi, & Deum colendi rationem, vagúmque & quodlibeticum modum in omne genus ſuperſtitionis vanæque vulgarium ac inutilium rituum obſervantiæ facilè & certò aliàs degenerem relinquere voluerit, ſed ſeriam habuerit intentionem, ut Chriſtiani tanquam diſcipuli ejus uniti in fide invicem & charitate, in conſociationem pariter externam coirent, communémque credendi, & fidem, amorem, reverentiámque ſuam erga Deum profitendi, ſive Deum colendi

di publicam normam, modúmque ſolidum & ordinem determinatum tenerent; clarum proinde itidem eſt, quod ſufficientibus mediis hancce ſocietatem, quatenus ordine & decenter, & ſervandæ arctiori unioni ejusdem, nec non veritati Evangelicæ per eamdem firmiùs retinendæ, & ad poſteros ſecuriùs propagandæ convenienter cuncta fierent, inſtituendam eſſe providâ ex ſapientiâ duxerit. Homines porrò, qui in cœtum ejusmodi ſacrum coeunt, & ſub uno Capite Chriſto ſerviunt Deo in fide & charitate, eandémque exteriùs profitentur, in una ſacrorum & Sacramentorum, quæ religionis non tantùm fulcimenta, ſed etiam auguſta ejusdem ſymbola, inſignes teſſeræ, arctáque ſacræ communionis inter fideles vincula ſunt, participatione juncti appellantur Eccleſia, quod nomen græcum eſt, ac derivatur à verbo ἐκκαλέω, quod eſt evoco, ſive congrego, quaſi plurium convocatio ſive congregatio.

III. Eccleſia igitur duobus modis conſiderari poteſt: primò ſecundùm ſuum ſtatum interiorem, ſeu ſecundùm eam partem, quam nominamus animam Eccleſiæ, quatenus ſcilicet dicit ſocietatem illorum, qui veræ fidei in Chriſtum, & ſinceræ charitatis vinculo cum Deo &

inter

inter ſe conjuncti ſunt: atque hoc ſenſu tota inviſibilis eſt, ac ſoli Sancti & Juſti ad eam, ùt vera & viva membra pertinent: ſecundò ſecundùm ſuum ſtatum exteriorem, quem corpus appellamus, quatenus nimirum eſt ſocietas eorum, qui publicâ ejusdem fidei profeſſione, eorundem Sacramentorum & rituum cultûs divini ſubſtantialium communione ordinatè conjuncti ſunt, atque hoc ſenſu Eccleſia viſibilis eſt ac conſpicua. Porrò ſocietas eorum, qui veram & eandem Chriſti fidem profitentur, & in unum Religionis corpus coëunt, variis idcirco & præcipuis in S. Scriptura deſignari ſolet nominibus. Dicitur primò: *Domus Dei*, ad Tim. 3. v. 15. *ut ſcias, quomodo te oporteat in domo Dei converſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi.* Domus quidem propter aptam fidelium inter ſe diſpoſitionem, Dei verò, quia Deus in ea colitur, & ſpeciali modo inhabitat, Pſalm. 25. v. 8. *Domine dilexi decorem Domûs tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Secundò: *Caſtrorum acies ordinata*, Cant. 6. v. 10. ex officiorum diverſitate, & hierarchicâ Chriſti militum, ac officialium ſubordinatione. Tertiò: *Civitas Dei* juxta illud Pſalmi 47. v. 2. *Magnus Dominus & laudabilis nimis in Civitate Dei noſtri*

ſtri in monte ſancto ejus. Dicitur autem *Civitas* propter unitatem & conjunctionem inter fideles; dicitur *Dei noſtri*; quia ſcilicet Deus fundavit eam in æternum: dicitur Matth. 5. v. 4. *ſupra montem poſita*, quo ſignificatur Eccleſiæ viſibilitas & firmitas. Quartò: *Regnum Dei ſive Cælorum*, & ſæpe quidem, Matth. 13. ut denotetur regiminis poteſtas, & ſubjectionis ſive dependentiæ neceſſitas. Quintò: *Corpus Chriſti*; ſic eam vocat Apoſt. ad Coloſſ. 1. v. 25. *Pro Corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, cujus factus ſum ego miniſter ſecundùm diſpenſationem Dei.* Ad innuendam junctúram fidelium veluti Membrorum inter ſe, & cohærentiam cum unitate Capitis. Sextò: *Ovile Chriſti*, quia continet oves & agnos Chriſti in communione fidei & Sacramentorum participatione, ſub miniſterio & directione Paſtorum.

IV. Exinde rectè concluditur, quòd in Eccleſia neceſſarius ſit nexus, neceſſarius ordo, neceſſaria proin dependentia ejusdem veluti externæ ſocietatis, tum à communi quâdam ac ſtabili regulâ, juxta quam in divino cultu, & recto tramite ad unitatem & ſalutem ſuam ordinetur, tum à publico miniſterio atque præfecturâ viſibili, à qua dirigatur, in officio & ordine contineatur,

neatur, ſacra honeſtè & juxta ordinem diſpenſata recipiat, & ſalutis inſtrumenta jugiter obtineat. Sanè ſicut ſapientiæ divinæ congruit, in natura diſpenſare omnia in numero, pondere & menſurâ, cum ſubordinatione cauſarum & entium; ita, cum Deus ſoleat agere cum analogiâ operationum, ubi id fieri poteſt, congruit eidem divinæ ſapientiæ, ut etiam in ordine ſupernaturali & religionis omnia diſpenſet cum ſubordinatione cauſarum. Unde quemadmodum Deus in terra ſancta populo ſuo normam ſui cultûs, regimen & diſciplinam erexit; ita & Chriſtus fidelibus in unum corpus coadunatis, ſingularem formam, normámque ſacrorum longè præſtantiorem conſtituiſſe cenſeri debet; & ſicut idem Deus legibus & Magiſtratibus per Moyſen populum Iſraeliticum inſtruxit; ita idem Chriſtus, qui non deficit in neceſſariis, huic ſacræ ſocietati, quam ordinatiſſimam conſtituit, tum leges ad perfectum adducentes præſcripſit, tum adminiſtros ſuos & præfectos, ad vitandam confuſionem & recti ordinis perturbationem & ad rectum ejusdem regimen coordinandum, convenienti & neceſſariâ poteſtate inſtructos eidem reliquit, ſive in eadem publicum erexit miniſterium,

rium, quod visibili & vicariâ in sacris ritè ordinandis & dispensandis jugiter defungeretur auctoritate, quæ passim in Sacris Scripturis sub potestate docendi & pascendi explicatur.

V. Corpus ergo Ecclesiæ in duas subdividitur partes, in pastores scilicet, qui docent & pascunt; & plebem Christianam, quæ docetur & pascitur. Unde bene inquit antiquissimus Cyprianus Epist. 60. *quid Ecclesia est? plebs Sacerdoti adunata, & Pastori suo grex adhærens:* adhæret porro grex Pastori suo, & populus Sacerdoti, cum Pastorem docentem audit, & Sacerdotem dirigentem sequitur; *scire debes*, ait idem Doctor: *Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo.* Quibus hactenus deductis conhærenter recta Ecclesiæ adornatur definitio, quòd sit *cœtus hominum unius & ejusdem fidei Christianæ professione, & eorundem Sacramentorum communione conjunctus sub ordinato sive hierarchico regimine legitimorum Pastorum.*

VI. Christus equidem agens adhuc apud homines, sicut suam fundavit Ecclesiam, ita eidem non tantùm velut magnus Doctor veritatis, sed & ùt Princeps Pastorum, & Episcopus magnus animarum nostrarum præfuit juxta illud: ad

Ephes. 1. *& ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo ejus*; adscivit nihilominus duodecim Apostolos, non in quandam æqualitatem regiminis, sed in ministerium dispensationis, eísque continuâ familiaritate instructis missionem suam perfectam & completam tum impertitus est, postquam discedens ex hoc mundo JEsus Christus Apostolus & Episcopus sempiternus Ecclesiæ ingressus est in consummationem sui Sacerdotii; tum enim verò Dominus loco sui constituit Apostolos, implendo, quod prædixit illis Joan. 20. *Sicut me misit vivens pater, & ego mitto vos*; ad idem nimirum opus perficiendum, quod quidem ipse Christus à Patre missus, tanquam præcipuus, propriâ auctoritate, propriáque doctrinâ hìc existens in terris visibiliter exercuit; ipsi verò tanquam ejus administri, & stabiliti à se spiritualis regni præfecti mandatâ & vicariâ authoritate & doctrinâ traditâ prosequerentur. Verùm Christus, qui est ipsamet increata sapientia, Ecclesiæ suæ haud satis prospexisset, si solis eandem Apostolis ita commendâsset, ut illis extinctis, utpote mortalibus, nulli alii succederent in eodem docendi, pascendi & regendi munere. Verum

qui-

dem eſt, quod Chriſtus, tametſi non ampliùs viſibiliter cum hominibus converſetur, Eccleſiam tamen ſuam non deſerat, ſed ſpiritu ſuo perpetuò præſens eam ipſe regat adhuc, & gubernet, tanquam caput & Dominus, cui promiſit, ſe affuturum usque ad conſummationem ſæculi: ex eo tamen id ſolùm ſequitur, quòd, quemadmodum Chriſtus non ſpiritum, ſed carnem oculis noſtris ſubduxit, ſic non ſecundùm Deitatis ſpiritum, qui ubique eſt præſens, miſerit poteſtatis ſuæ Vicarios; at miſerit eos ſecundùm carnis ſuæ repræſentationem, quia ſua caro à nobis hoc tempore eſt abſcondita, ac quemadmodum eo tempore, quo Chriſtus apud nos vixit, oves cognoverunt vocem ejus, non ſolùm per internam operationem, ſed præterea per auditum auris, & per viſibilem ipſius Epiſcopatum; ſic in æternum oportet, ut ad compenſandam viſibilem Chriſti abſentiam, viſibile ſit in regno hoc ſpirituali miniſterium; ſiquidem verbum Dei corporalibus hominum auribus diſpenſandum eſt, quia *fides ex auditu, auditus autem per verba Chriſti; & corde creditur ad juſtitiam, ore autem fit confeſſio ad ſalutem.* Rom. 10. Itémque Sacramenta non aliter ſpiritui ſive animæ, quàm per cor-

pora & dantium & ſuſcipientium exhibentur; defenſio itidem fidei palàm gerenda eſt per interpoſita decreta & ſanctiones publicas, ovésque ſecernendæ à lupis, híque excommunicandi gladio quidem ſpirituali, ſed eo, qui per os Paſtoris in Eccleſia enuncietur, & in totius populi conſpectu proferatur.

VII. Quemadmodum igitur Petrus, & Apoſtoli à Chriſto, velut petra & fundamenta, ſuper quibus ædificavit Eccleſiam ſuam, conſtituti ſunt juxta illud: *Tu es Petrus: & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Matth. 16. & ad Epheſ. 2. *Superædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum*; fundamenta nimirum ſecundaria & miniſterialia juxta illud Apoſtoli: *Sic nos exiſtimet homo, tanquam miniſtros & diſpenſatores myſteriorum Dei.* Fundamentum quippe primarium, eſſentiale & principale eſt, manétque Chriſtus, de quo S. Paulus 1. Cor. 3. ait: *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus JESUS.* Ita in locum Apoſtolorum ſurrogati ſunt jugi ſucceſſione Epiſcopi, & *poſiti* pariter *à Spiritu S. regere Eccleſiam Dei*; ſúntque dati à Chriſto *tanquam Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum*

rum, in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi. Ad Ephes. 4. Apostoli videlicet ab ipsomet Christo electi, & ad hoc munus assumpti, ut ipsi etiam aliquo modo possent esse perpetui, in Ecclesia accepêre potestatem à Christo alios eligendi, & assumendi ad idem ministerium, ad quod ipse Christus Apostolos immediatè assumpserat; dixit etenim illis: *Sicut misit me Pater, ita ego mitto vos*, cum commissione & mandato generali, successores eligendi & ordinandi simili auctoritate instructos, idque continuatâ successione usque ad consummationem sæculi. Apostoli ergo auctoritate à Christo sibi mandata, quidquid pro Ecclesiæ suæ administratione necessarium erat, in Episcopos, tanquam legitimos successores, & veluti suos hæredes transfuderunt; hinc illud Psalmistæ, *pro Patribus nati sunt tibi filii*, sic exponit S. August.: *Patres missi sunt Apostoli, pro Apostolis filii nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi.* S. Cyprian. ad Cornelium Papam scribit: *Hoc vel maximè frater laboramus, & laborare debemus, ut unitatem à Domino, & per Apostolos nobis successoribus traditam, quantum possumus, obtinere curemus.* Epist. 42. Item

Chri-

Christus dicit ad Apostolos, ac per hos ad omnes Episcopos, qui Apostolis vicariâ ordinatione succedunt, qui vos audit, me audit. Apud nos Apostolorum locum, ait Hieron. *Episcopi tenent,* & S. Gregorius *quorum profectò* (Apostolorum) *nunc in Ecclesia Episcopi tenent locum, ligandi atque solvendi auctoritatem suscipiunt, qui gradum regiminis sortiuntur.* Hom. 26. in Evang. cui communi antiquorum Patrum sensui inhærens Synodus Tridentina rectè declarat Episcopos, *qui in Apostolorum locum successerunt, esse positos,* sicut idem Apost. ait: *à Spiritu Sancto, regere Ecclesiam Dei.*

VIII. Spectatâ porrò antiquissimâ & à primis usque sæculis jamjam acceptâ Ecclesiæ disciplinâ, & usque huc conservatâ pro vitanda confusione, cum Ecclesia sit velut acies ritè ordinata, & quatenus omnia juxta monitum Apostoli *1. Cor. 14.* secundùm ordinem in eadem fierent, Episcopi in sua ordinatione singuli ad suam respectivè ecclesiam sive diœcesin certis limitibus determinatam, unde Diœcesani compellari hodie solent, deputantur, ut in eadem quisque ministerium

ſterium ſuum impleat juxtà illud vulgare S. Cypriani: *Singulis Paſtoribus portio gregis eſt adſcripta, quam regat unusquisque & gubernet.* Hujus proinde gregis & Diœceſanum regimen Epiſcopo tanquam primario & principali paſtori incumbit; ubicunque enimverò in ſcriptura eſt mentio Epiſcoporum extra Concilium, authoritas tota regendi, judicandi, definiendi, ſtatuendi, excommunicandi &c. refertur ad ſolos Epiſcopos. *1. Tim. 5.* ſoli Epiſcopo tribuitur poteſtas judicandi Presbyteros: *Adverſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus.* In epiſtola ad Titum, ſoli Tito tribuitur poteſtas omnia corrigendi & ordinandi in inſula Creta cap. 1. *Reliqui te Cretæ, ut omnia corrigas &c.* In Apocalypſi ſolis Epiſcopis tribuitur laus aut vituperium ob bene vel malè adminiſtratam diœceſin. *Angelo Epheſi, Smyrnæ, Pergami &c. ſcribe.* In ea inſtitutione Epiſcoporum, quæ habetur in epiſtola ad Titum & *in 1. ad Timoth. 2.* ſupponitur, curam totius diœceſis incumbere Epiſcopo. Omnes etiam primariæ Eccleſiæ, Romana, Jeroſolymitana, Antiochena, Alexandrina &c. à tempore Apoſtolorum, continuâ ſucceſſione regebantur ab Epi-

ſcopis. Horum enim ſucceſſio ab Irenæo, Tertulliano, Euſebio, tanquam res ſæculo 2do, 3tio, & 4to notiſſima ſumitur in argumentum contra hæreticos. Vid. Irenæus *lib. 3. cap. 3.* Tertullianus *de præſcript. cap. 22.* Euſebius de ſucceſſionibus Epiſcoporum in iisdem primariis Eccleſiis *lib. 3. cap. 11. 22. 2. 13. 15. 14. 21. & 23.* Hinc Epiſcopum illum eſſe, dicit Canon 38. Apoſtolorum, *cujus fidei populus eſt creditus, & à quo animarum ratio exigetur.* Et Canon 24. Antiochenus declarat, *res eccleſiæ eſſe in poteſtate Epiſcopi, cui*, pergit, *eſt omnis populus creditus, & eorum animæ, qui in eccleſiam conveniunt.* Cùm verò ſpectatâ diœceſium latitudine, & excreſcente fidelium numero, ſolus Epiſcopus non poſſet totius diœceſis populum actu & continuatim paſcere ac dirigere, omniáque peragere, quæ ad ſpiritualem ejusdem curam & diœceſis regimen requiruntur; neceſſarium porro fuit, ut plures ſint inferiores ſacerdotes & miniſtri, qui vocati in partem ſollicitudinis, per impoſitionem manuum ritè ordinati & canonicè miſſi inſtar ſeptuaginta diſcipulorum, Epiſcopum in ſacris diſpenſandis, in cura ac regimine eccleſiæ ſublevent, adjuvéntque; ita tamen, ut Epiſcopus maneat

totius

totius diœceſeos caput, & principalis miniſter, cui omnes inferiores adjutores & adminiſtri accedunt, canonicâ ſubjectione dependentes ab eodem, tanquam ſuperiore, cui primariò cura & regimen incumbit, atque à quo, tanquam è fonte omnis eccleſiaſtica poteſtas in miniſtros derivatur, in his maximè, quæ ad Eccleſiæ regimen & functiones hierarchicas ſpectant. Unde ordinandos presbyteros ex præſcripto Pontificalis ita alloquitur Epiſcopus: „ Tales eſſe ſtudeatis, ut *in adjutorium* „ Moyſis & *duodecim Apoſtolorum, Epiſcoporum* „ *videlicet Catholicorum*, qui per Moyſen & „ Apoſtolos præfigurantur, dignè per gratiam „ Dei eligi valeatis . . . itaque dilectiſſimi filii, „ quos *ad noſtrum adjutorium* fratrum noſtro- „ rum arbitrium conſecrandos eligit &c. „ Atque hæc ſubordinatio in regimine, & in hierarchia Eccleſiæ, nec non diverſitas graduum miniſterii & officiorum paſtoralium ſtabilitæ deprehenduntur jam inde à temporibus Apoſtolorum, ex præſcripto JESU Chriſti, qui eos inſtruxit.

IX. Quemadmodum igitur ſyſtema religionis cum ordine & poteſtate hierarchica eſt poſſibile

ac decens Deum, illúdque ad fines à Chriſto præſtabilitos meliùs ſervit, quàm poteſtatis & authoritatis generalis confuſio; ita & conſtans ac perpetua ſemper in Eccleſia fuit fides & traditio, ordinatione divinâ inſtitutam eſſe ſacram hierarchiam, conſiſtentem in Epiſcopis, presbyteris & miniſtris, & in eadem ſemper eminuiſſe Epiſcopos, veluti poſitos à Spiritu Sancto, regere Eccleſiam Dei. Atque ut ad ſæcula apoſtolica redeamus, traditio primitivæ Eccleſiæ, ſtatui Epiſcoporum, presbyterorum & diaconorum privativè adſcripſit adminiſtrationem divinorum. Id nemo ignorare poteſt, qui non eſt peregrinus in ſcriptis primorum temporum; ut ex multitudine paucos tantùm obvios hujus traditionis teſtes adlegem (1.) Clemens Romanus Pontifex, Petri Succeſſor *in epiſt. ad Corinth.* exactè diſtinguit ſtatum Epiſcoporum, ſacerdotum & diaconorum à ſtatu laicorum & quidem inſtitutione divinâ. (2.) S. Ignatius Martyr in omnibus epiſtolis meminit Epiſcoporum, presbyterorum & diaconorum, eorumque ſtatui privativè adjudicat adminiſtrationem divinorum; quod, cum teſtetur tanquam notorium & receptum in omnibus eccleſiis, ſignum eſt, id

deſcen-

deſcendere ex inſtitutione apoſtolica aut immediatè divinâ. (3.) Clemens Alexandrinus *lib. 3. pædagogi cap. 12.* non obſcurè oſtendit tres gradus, Epiſcoporum, presbyterorum & diaconorum jam tempore Apoſtolorum conſtitutos, diſtinctósque fuiſſe. (4.) Tertullianus *lib. de præſcriptionibus cap. 41.* horum quoque trium graduum clericalium & ordinationum, tanquam rerum præſcriptione ab ipſis temporibus Apoſtolorum introductarum meminit; carpens enim hæreticos ait: „ Ordinationes eorum „ temerariæ, leves & inconſtantes . . . Nus„ quam faciliùs proficitur, quàm in caſtris re„ bellium. Itaque alius hodie Epiſcopus, cras „ alius: hodie diaconus, qui cras lector: ho„ die presbyter, qui cras laicus; nam & lai„ cis ſacerdotalia munera injungunt. „ Superfluum duco plura colligare teſtimonia in re adeò liquida. S. Cyprianus ſcatet hujusmodi teſtimoniis, in quibus exactè diſcernuntur, Epiſcoporum, presbyterorum, & diaconorum officia, & ordinationum valor ad normam inſtitutionis apoſtolicæ dignoſcitur v. g *epiſt. 42.* In Epiſcopis verò principaliter fundari Eccleſiam & horum Superioritatem, ſive primatum honoris,

authoritatis & jurisdictionis fundari in Jure divino aut per Christum explicato, aut per Spiritum Sanctum Apostolis inspirato, ita ut à tempore Apostolorum in Ecclesia viguerit ea hierarchia ac subordinatio, quatenus plebs simul cum diaconis ac presbyteris regeretur ab iis velut superioribus ecclesiasticis, Urbicis aut Diœcesanis, quibus nomen Episcopi tribuebatur, satis liquet ex dictis, porróque idipsum idem vir apostolico ævo suppar, & discipulus S. Joannis Ignatius Martyr in septem epistolis, quæ omnino legitimæ sunt, multiplici & irrefragabili firmat testimonio, & quidem *epist. ad Smyrnæos*: „ Omnes Episcopum sequimini ùt JESUS Chri-
„ stus Patrem, & presbyterium, ùt Apostolos. Item. „ Nullus sine Episcopo aliquid operetur
„ eorum, quæ conveniunt in Ecclesiam &c. Rursus: „ Nihil in Ecclesia Episcopo majus est,
„ utpote qui sacra Deo facit pro totius mundi
„ salute. „ Ad Episcopum verò Polycarpum hæc scribit: „ Nihil sine tua sententia fiat, ne-
„ que tu sine Deo quid operare: & mox . . .
„ Episcopo attendite, ut Deus vobis. Et iterum: „ unanimis ego cum subjectis Episcopo,
„ presbyteris & diaconis. In *epist. ad Ephes.*

„hæc

hæc habet: „ Veſtrum presbyterium concorda-
„ tum eſt Epiſcopo, ùt chordæ citharæ: fe-
„ ſtinemus igitur non reſiſtere Epiſcopo, ut
„ ſimus Deo ſubjecti; manifeſtum eſt ergò, quòd
„ Epiſcopum ipſum reſpicere oporteat, ut ipſum
„ Dominum. Porro in *epiſt. ad Magneſianos* hæc monet: „ ùt quemadmodum Epiſcopum
„ quidam vocant, ſine ipſo autem operantur;
„ ſic neque vos ſine Epiſcopo & presbyteris ali-
„ quid operamini. „ In *epiſt. ad Philadelphios* ita cenſet. „ quotquot Dei ſunt & JESU Chriſti,
„ cum Epiſcopo ſunt &c. Sæpe in *epiſtola ad Trallianos* commemorat: „ neceſſarium igitur
„ eſt, quemadmodum facitis, nihil ſine Epiſco-
„ po operari. „ Et rurſus: „ ſine his Eccleſia non
„ vocatur. „ Et iterum: „ qui ſine Epiſcopo, pres-
„ bytero & diacono operatur aliquid, iſte non
„ eſt mundus in conſcientia. In *epiſt. ad Romanos* demum habet ſequentia: „ Quæ . . .
„ (Eccleſia ſcilicet) præſidet in loco religionis
„ Romanorum. „ Mirificè eandem Epiſcopo-
rum auctoritatem commendat antiquiſſimus & Pater II. ſæculi citat. Tertullianus *Lib. de Baptiſmo Cap. 17.* ubi nihil ſine auctoritate Epiſcoporum in Eccleſia fieri vult, *eorúmque honore*

ſalvo

ſalvo, ait idem, *ſalva pax eſt.* Suffragium hâc in re non uno in loco addit laudatus celeberrimus Cyprianus Pater III. ſæculi & quidem *epiſt.* 27. ibi. „ Dominus noſter, cujus præcepta me-
„ tuere & obſervare debemus, Epiſcopi hono-
„ rem & Eccleſiæ ſuæ rationem diſponens in
„ Evangelio loquitur & dicit Petro : Tu es Pe-
„ trus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccle-
„ ſiam meam, inde per temporum & ſucceſſio-
„ num vices Epiſcoporum ordinatio, & Eccle-
„ ſiæ ratio decurrit; *ut Eccleſia ſuper Epiſcopos*
„ *conſtituatur, & omnis actus Eccleſiæ per eosdem*
„ *præpoſitos gubernetur.* Et epiſt. 60. ibi: „Scire
„ debes (pergit idem Doctor,) *Epiſcopum in Ec-*
„ *cleſia eſſe, & in Epiſcopo Eccleſiam*, & fruſtra
„ ſibi blandiri eos, qui cum Sacerdotibus Dei
„ pacem non habentes obrepunt, & latenter
„ apud quosdam communicare ſe credunt :
„ quando Eccleſia, quæ catholica eſt, ſciſſa non
„ ſit, neque diviſa, ſed ſit utique connexa, &
„ cohærens ſibi invicem Sacerdotum glutine
„ copulata. „ Proinde ſcitè notat in Cypriano Fellus: *Independentia ab Epiſcopis inſtar Chimeræ eſt, cum Eccleſia ſine illis nec eſſe, nec intelligi poſſit, cum hæc ſit grex Paſtori adunatus*; & quod

Epi-

Epiſcopus caput ſit plebis non tantùm, ſed Ordinis totius Eccleſiaſtici, ulteriùs atteſtatur Divus Ambroſius in 1. Cor. 1. c. cujus hæc verba ſunt: *In Epiſcopo omnium ordinationum dignitas eſt, caput eſt enim cæterorum membrorum.*

X. Quamvis verò Chriſtus Dominus Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem tribuerit poteſtatem; quia omnes vocati & miſſi ſunt à Chriſto, ex æquo omnes munus apoſtolicum acceperunt, omnes amplitudinem poteſtatis apoſtolicæ habuerunt, per quam ubique Chriſtum nunciare, Eccleſias fundare, Sacramenta miniſtrare, peccata remittere vel retinere, ligare vel ſolvere, paſcere & regere, & alia omnia exercere poterant, quæ ad publicum miniſterium Eccleſiæ neceſſaria erant; ut ſervaret tamen & manifeſtaret unitatem, unam Cathedram inſtituit, & unitatis ejusdem originem ab uno incipientem ſuâ auctoritate diſpoſuit, & ita ad Petrum Dominus nominatim loquitur, ùt inquit Cyprian. Lib. de unitate Eccleſiæ: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: paſce oves meas: paſce agnos meos: tibi dabo claves Regni Cœlorum.* Et S. Hieron. *Lib. I.* adverſus Jovinianum, poſtquam dixit, om-

nes Apoſtolos clavem regni cœlorum accepiſſe, & ex æquo ſuper illos fortitudinem Eccleſiæ ſolidari, propterea tamen unum inter duodecim electum fuiſſe aſſerit, *ut Capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio.* Duo ſcilicet neceſſaria erant, ut aliquis dignè fungeretur officio apoſtolico: primum, ut exerceretur cum poteſtate à Chriſto conceſsâ: ſecundum, ut nonniſi ſervatâ Eccleſiæ communione & unitate idem exerceretur. Defectu authoritatis, qui apoſtolicum munus uſurpabat, verus non erat Apoſtolus, ſed Pſeudo-Apoſtolus; defectu unitatis nemo Catholicus, etſi Apoſtolus, ſed planè ſchiſmaticus.

XI. Hanc proinde unitatem in Eccleſia ſervandam cum decreviſſet Chriſtus, principium ejus & radicem in Petro conſtituit: cum verò ad ſtabiliendum hoc unitatis eccleſiaſticæ Caput eximiâ quâdam auctoritate opus eſſet, quæ valeret ſchiſmata compeſcere, aut avertere ab Eccleſia; præter auctoritatem Apoſtolatui eſſentialem facta eſt perſonæ Petri, quem huic muneri obeundo deſtinavit Chriſtus, ſingularis dignitatis & poteſtatis acceſſio, ut nimirum omnes fideles atque ipſos Apoſtolos in officio ſuo & ordine

dine contineret, ac prohiberet, nequis Eccleſiæ ſcinderet unitatem; non quidem, quòd hâc diſciplinâ egerent Apoſtoli, quibus ſingulis ſpeciatim in orbis chriſtiani adminiſtratione Deus affuturus erat, ſed ut Eccleſiæ formam aliquam proponeret, quâ res poſt mortem ſuam eſſent componendæ, & compoſitæ ſemper reſtarent. Quemadmodum, etiamſi primis illis temporibus Eccleſia Conciliis non indigeret ad dubia religionis ſolvenda, cum Apoſtoli ſeorſim ea potuiſſent pro divino afflatu, quo ducebantur, infallibiliter dirimere; voluit tamen Deus, Apoſtolos in unum Concilium congregari, pro dirimenda de legalium uſu controverſiâ, ut poſteris Conciliorum pari in occaſione habendorum ratio commendaretur.

XII. Regnum nimirum Chriſti, regnum pacis, amoris atque unitatis eſt, eundémque ad finem omnis externa gubernatio Eccleſiæ eſt inſtituta: Chriſtus enim ad mortem (quâ pacificaturus erat omnia, quæ in cœlis, quæque in terris erant) jam tranſiens pacem Apoſtolis ſuis dedit, pacem, inquam, non hujus mundi, ſed ſuam illis reliquit *Joan. 14.* & Apoſtoli nec aliquid frequentiùs, quàm pacem Chriſtianis commen-

 dârunt,

dârunt, nec aliquid ſeveriùs reprehenderunt, quàm ſchiſmata & factiones. Pax autem Chriſti duplex eſt: externa & interna; de internâ pace jam non agimus, niſi pro ea parte, quâ illa per externæ pacis vinculum promovetur & adjuvatur. Neceſſe proinde eſt & omninò ſtatuendum, de optima vel ſaltem ſatis commoda ratione, pacem & unitatem externam in Eccleſia efficiendi & conſervandi, proviſum eſſe; tantum verò abeſt, ut absque præſidentia unius primi paſtoris, pax ejusmodi & unitas effici & conſervari poſſit, ut verè nulla res alia cogitari poſſit, quâ pax & unitas Eccleſiæ faciliùs diſſolvatur. Nam externa Eccleſiæ pax diſſolvitur maximè per hæreſes & ſchiſmata, per quæ fides, religio & charitas ùt plurimùm labefactantur; unde tam Chriſtus prædixit, ut à pſeudo-prophetis ſibi Eccleſia caveret *Matth. 24.* quàm Apoſtolus monuit, ut declinaremus ab illis, qui præter doctrinam, quam didicimus, diſſenſiones & offendicula faciunt *ad Rom. 16.* Præfectura quippe ad formam meræ Ariſtocratiæ inſtituta, periculo hæreſum & ſchiſmatum vel maximè eſt obnoxia; cum enim hæreſes & ſchiſmata nihil aliud ſint, quàm eccleſiaſticæ quædam partes &

factio-

factiones, hæ verò vicina omnino & propria vitia ſint ſtatui, qui per puram Ariſtocratiam regitur; difficilius longè eſt, ut, ſi Eccleſia per Epiſcopos independentes regitur, ab hæreſibus & ſchiſmatis non penitus abſorbeatur. Cum ergò credendum ſit, Chriſtum, qui promiſit, portas inferorum, quales ſunt hæreſes & ſchiſmata, adverſus Eccleſiam non prævalituras, talem gubernationem non reliquiſſe, quæ ad hæreſes ac ſchiſmata & excogitanda & alenda aptiſſima ſit: illud è converſo credendum non eſt, quòd Eccleſiam voluerit ab Epiſcopis cum independentia & absque ſubordinatione ad unum primum Præſidem potiſſimùm adminiſtrari. Ut enim homines non colligunt de ſpinis uvas, aut de tribulis ficus *Matth. 7.* ſic neque de ſeminario factionum & hæreſum pacem & unitatem eccleſiaſticam metere poſſunt: aut quis, obſecro, finis contentionum ibi erit, ubi, quò plura factionum capita ſunt, eò ſemper longiùs à pace & unitate receditur? creſcit argumentum, quòd Epiſcopi longè plurimi ſint in Eccleſia, quò autem plures ſunt, eò citiùs inter multos reperiuntur contentioſi, pertinaces, ſcientiâ inflati, & charitatis vel etiam ſcientiæ ædificantis planè

expertes; & quòd tam locorum intervallis per totum orbem iidem ſint diſtincti, tamque rarò in unum coeant, adeo, ut non ſit alia facultas cohibendi hæreſes & ſchiſmata, utpote, quæ ùt cancer ſerpunt, quàm ſubordinatio & dependentia illorum ab uno & primo viſibili Capite, neceſſariâ & eximiâ poteſtate, eosdem in officio, ordine & communione continendi, inſtructo, ſine quo alioqui multitudo Epiſcoporum induceret confuſionem, & ſaltem ad hæreſes ſchiſmatáque fovenda plus virium haberet, quàm ad rectæ fidei conſenſionem & unitatem religionis promovendam & conſervandam. Atque tota in eo conſpirat veneranda Patrum antiquitas, & conſtans Eccleſiæ traditio, primatum Petri, nexum & vinculum eſſe communionis eccleſiaſticæ inter diffuſos per orbem chriſtianum Epiſcopos & paſtores, & Cathedram ejusdem Petri, ejúsque ſucceſſorum, Romanorum videlicet Pontificum, eſſe radicem, matricem, & centrum conſociationis atque unitatis tum Corporis paſtorum, tum Catholicæ Eccleſiæ, tanquam *in unum gregem & ovile unum* collectæ.

XIII. Prolixum nimis & ſuperfluum hoc loco foret, Petri & ejusdem ſucceſſorum primatum

tum honoris, æquè ac authoritatis & jurisdictionis à Chriſto ſuper alios Apoſtolos & Epiſcopos conceſſum & ab eodem Petro ejúsque ſucceſſoribus jugiter exercitum, ex apertis ſcripturæ textibus, innumeris Patrum ſententiis & teſtimoniis, invictis rationum monumentis ſpeciatim demonſtrare; cum ad præſens propoſitum ſatis ſit, ex Sacra Scriptura, ac Traditione, qui duo certiſſimi & puriſſimi fontes ſunt, ex quibus notio religionis, utpote revelatæ, haurienda venit, deducere, & penes verba factáque Chriſti, Apoſtolorum exempla, & usque ab Apoſtolis uſitatam per tria, quæ purioris diſciplinæ audiunt, ſæcula, & inde in Eccleſia jugiter continuatam ac ratione inſimul ſuffultam praxin figere regulam, ex qua poteſtas circa ſacra tutò dimetienda diſcernendáque ſit; atque cum indidem hanc à Chriſto ejusdem authore penes Epiſcopos depoſitam in Eccleſia eſſe potiſſimùm oſtendamus, nemini obſcurum eſt, nec de eo ulla apud ipſos Epiſcopos controverſia, quod Verticis ſive ſupremi Capitis canonicum arbitrium, judicium & ſacrum imperium inde emineant.

ARTI-

ARTICULUS II.

Exiſtentia & indoles regiminis eccleſiaſtici oſtenditur.

SUMMARIA.

I. *Præfectura viſibilis Rectorum & Paſtorum ſplendeſcit in Eccleſia, probante id Sacrâ Scripturâ.*

II. *Eadem præfectura non importat liberum & abſolutum dominium, utpote quod ſoli Chriſto proprium eſt.*

III. *Neque in Eccleſia Dei eſt dominatus gentium; quo id ſenſu intelligendum?*

IV. *Exinde vera & propria regiminis poteſtas in Eccleſia non tollitur, nec tollenda, ſed ſolùm abſolutum & ſæculare dominium reprobatur, quod præclarè exponit S. Bernardus.*

V. *Uti deſpotiſmus non eſt penes Rectores Eccleſiæ, ita nonniſi rationabile obſequium à populo fideli exigendum eſt.*

VI. *Verum & proprium in Eccleſia dari regimen à Chriſto conceſſum, oſtenditur ex verbis illis: Tibi dabo claves &c.*

VII. *Ulteriùs idipſum oſtenditur ex verbis:* paſce oves meas &c.

VIII. *Tres partes conſtitutivæ ſunt regiminis eccleſiaſtici, deinceps demonſtrandæ.*

I. NOn carere populum Chriſtianum omni externâ & viſibili in ſacris præfecturâ ſive gubernatione, ſacri codices apertè & abundè docent, cum Paulus adhortetur Act. 20. Epiſcopos in Eccleſiis Epheſiorum, *ut attendant univerſo gregi, in quo Spiritus S. eos poſuit Epiſcopos ad regendam Eccleſiam Dei.* Idem ad Timoth. ſcribens 1. Tim. 5. *Presbyteros, qui bene præſunt, duplici honore dignos eſſe,* quin etiam idem jubet, *nos obedire & ſubjacere præpoſitis noſtris.* Hebr. 13. Quomodo verò præpoſitis noſtris obedire poſſumus; ſi nulli præpoſiti in Eccleſia omnino eſſent? aut quomodo alibi dixit, ad Rom. 10. *Qui præeſt, in ſollicitudine præſit,* ſi nullus in Eccleſia omninò præeſſet? Neque ſingulæ duntaxat particulares Eccleſiæ, verùm etiam totus Chriſti grex, qui eodem tempore in terris agit, aliquo viſibilis gubernationis genere contineri debet; nam ſi gubernatio aliqua

in particulari quapiam Ecclesia ob salutem ejus constituitur, ipsa universalis Ecclesia multò minùs tueri sese potest absque aliqua communi gubernatione. Necesse quippe est, verum esse, quod Spiritus Dei per Salomonem dixit; Proverb. 11. *Ubi non sunt gubernacula, populus corruet*, & per Ezechiel. 24. *Dispersæ sunt oves meæ, eoquòd non esset pastor.* Enim verò, cum in scripturis, prout in Articulo præcedenti demonstratum est, Ecclesia vocetur & sit Civitas, Domus, Regnum, Ovile, Corpus &c. necesse omnino est, ut ibidem sit, vigeátque constans fidelium unio sub coordinato regimine & directione Rectorum & Pastorum.

II. Gubernatio ejusmodi Ecclesiæ respectu Pastorum & Rectorum neutiquam importat liberum & absolutum dominium, utpote quod soli Christo proprium & reservatum est; scimus namque, Christum Dominum de suo dominio in Evangelio dixisse; *data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra*, & legimus, Apostolum ad Romanos scripsisse, *in hoc Christus mortuus est & resurrexit, ut & vivorum & mortuorum dominetur.* Inde est, quòd in Episcopatu animarum nostrarum Christus nullum habeat successorem,

sint-

sintque Apostoli & Episcopi Christi in terris duntaxat Vicarii, potestatem tantùm ministerialem, non absolutam habentes, idcirco juxta leges scripturæ & præfixos Canones exercendam in ædificationem, & non in destructionem Ecclesiæ, utì loquitur Apostolus. Exinde consequitur, quòd Christus Dominus, ùt in Articulo primo pariter indigitatum est, proprium, principale & primarium Ecclesiæ Caput sit, in se omnia dona & gratiarum charismata continens & propriâ virtute & auctoritate membra vivificans, ac motus sensúsque spirituales influens; Petrus verò & Apostoli eorundémque successores, Pontifices & Episcopi caput Ecclesiæ, & capita Ecclesiarum visibilia sint, at merè ministerialia & sub essentiali Capite Christo JESU, non quòd interiorem illum influxum sui spiritûs & gratiæ in anima operandi eisdem potestatem communicaverit, quippe, quam sibi soli, tanquam unico & propriè dicto suæ Ecclesiæ essentiali Capiti, reservavit, hinc illud Apostoli: *Neque, qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus:* sed quòd dumtaxat eosdem constituerit pro externa Ecclesiæ gubernatione, & sensibili applicatione eorum instrumentorum,

per quæ interiorem hunc gratiæ & Spiritûs Sancti influxum Christus membris suis communicare voluit; proinde impropriè tantùm influxus ejusmodi Apostolis & eorum successoribus tribui potest, quatenus scilicet extrinsecè per ministeria externa sive actus sensibiles hierarchicos mysteria Christi dispensant juxta illud S. Pauli ad Cor. 4. v. 1. *Sic nos existimet homo, tanquam ministros Dei, & dispensatores mysteriorum Dei.*

III. Porrò in Ecclesia Dominatum, qualis ille gentium esse solet, Apostolis & Episcopis in Evangelio prohibitum esse, palam est ex his verbis: *Reges gentium dominantur eorum, & qui majores sunt, potestatem exercent in eos; non ita erit inter vos.* Nec latet, D. Petrum jussisse, *presbyteros pascere gregem Dei, non velut dominantes in Cleris, sed velut formam gregis factos ex animo.* Per dominatum verò sæcularem, qualis est inter gentes, rectè intelligitur talis potestas, cujus acquisitionem plerique Principes non tam divino muneri, quàm suis aut meritis aut natalibus tribuunt, quæ plerumque non præcipuè ad subditorum, sed ad Principum utilitatem ac dominandi cupiditatem refertur; quæ semper nonnisi ob pacem terrenam humanis consiliis & rationibus exer-

exercetur: cujus ſumma vis eſt, ut corpus duntaxat occidere, *Matth. 10.* non autem animam divini miniſterii virtute à peccatis abſolvere vel ligare queat: talem dominatum, inquam, qui facit, ut cum ſæculi Regibus in ſolio ſedeant ſuperbia, faſtus & proprii commodi libido, ùt notant Patres, & colligi poteſt ex poteſtate regnandi ab ipſo Deo populo Iſraelitico expoſita, cum regem ad modum gentium poſceret, non à Chriſto in Eccleſia inſtitutum eſſe, liberè fatemur, & exinde ſatis pateſcit, quòd miniſtri Chriſti & diſpenſatores myſteriorum ejus, quidquid poſſunt, non id aut ſplendori natalium, aut ſuis meritis, verùm gratuitæ vocationi Dei per interpoſitam vim cœleſtis cujusdam ordinationis acceptum ferant, nec ſuâ, ſed ovium, quæ Chriſti Domini ſunt, causâ in paſtorali charitate & lenitate præſint, nec pacem terrenam, ſed cœleſtem per modos & vias etiam cœleſtes quærant, neque poteſtatem in corpus & bona temporalia, ſed in animam à Chriſto acceperint, non mortem ejusdem, ſed vitam & ſalutem æternam paternâ ſollicitudine, & charitativâ auctoritate requirentes, atque miniſtri conſtituti ſub obligatione prudentis & fidelis diſpenſationis, non

in deſtructionem, ſed in ædificationem Eccleſiæ.

IV. Exinde tamen neutiquam conſequitur, quòd in Eccleſia Dei non detur vera & propria regiminis poteſtas ſive ſacrum imperium; quemadmodum enim hoc ad omnium externarum ſocietatum rectam inſtitutionem & ſtabilem conſervationem neceſſarium eſt; ita & ſocietati eccleſiaſticæ id omninò neceſſarium, imo ejusdem inſtitutioni coævum eſt ad conſervandam unitatem, pietatem, ordinem ac honeſtatem, & ad malos cohibendos, expellendos & puniendos: qualiter verò poteſtas regiminis eccleſiaſtici, nec abſolutam in Eccleſiam poteſtatem, quæ Chriſto unicè reſervata eſt, neque ſæcularem dominatum, quem Reges gentium uſurpant, importet, præclarè exponit D. Bernardus *Lib. 3. de conſideratione* ad Eugenium Papam ſcribens in hæc verba: „ Parentes tui (Apoſtoli) conſtituti ſunt „ Principes ſuper omnem terram. Eis tu ſucceſſiſti in hæreditatem, ita tu hæres (Apoſtolorum) & orbis (eſt) hæreditas. At quatenus „ hæc portio te contingit, aut contigerit illos, „ id ſobriâ conſideratione penſandum; non enim „ per omnem reor modum, ſed ſanè quadantenus

„ nus (ùt mihi videtur) diſpenſatio tibi ſuper il-
„ lum credita eſt, non data poſſeſſio: ſi pergis
„ uſurpare & hanc, contradicit tibi, qui dicit:
„ meus eſt orbis terræ & plenitudo ejus. Non
„ tu ille, de quo Propheta: & erit omnis terra
„ poſſeſſio ejus. Chriſtus hic eſt, qui poſſeſſio-
„ nem ſibi vendicat & jure creationis & merito
„ redemptionis & dono Patris. Cui enim alteri
„ dictum eſt? poſtula à me, & dabo tibi gentes
„ hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam ter-
„ minos terræ. Poſſeſſionem & dominium ce-
„ de huic: tu curam illius habe. Pars tua hæc,
„ ultra ne extendas manum. Quid, inquis, non
„ negas præeſſe, dominari vetas? plane ſic:
„ Quaſi non bene præſit, qui præeſt in ſolicitu-
„ dine . . . præſis ut proſis, ùt fidelis ſervus &
„ prudens, quem conſtituit Dominus ſuper fa-
„ miliam ſuam . . . hoc fac & dominari ne affe-
„ ctes hominum homo, ut non dominetur tui
„ omnis injuſtitia (& poſt) nullum tibi vene-
„ num, nullum gladium plus formido, quàm li-
„ bidinem dominandi.

V. Omnis proïn in Eccleſia ab iis, qui præ-ſunt, deſpotiſmus, inſultans Regibus & principi-bus elatio, inferiorum contemptus, impotens impe-

imperium, vanitas in minis & terroribus consistens, tyrannis & merum dominandi arbitrium, in quo pro ratione stat voluntas, sicut removetur; ita nonnisi rationabile obsequium ab illis, qui subsunt, in eadem exigitur, utpote in qua non propriè Dominorum & servorum, & non tam Regum, & subditorum, quàm pastorum, patrum, fratrum, filiorum & ovium nomen non inane audias: imo verò non charitas duntaxat, sed & humilitas in ejusdem Ecclesiæ gubernatione, velut sidera polaria veniunt respicienda; unde Pontifices & Episcopi ministrorum, & servi servorum Dei nominibus & titulis præprimis gloriantur. Illa nimirum est in Ecclesia humilitatis indoles, ut exæquet inæquales, non confundendo debitum & hierarchicum ordinem, neque superiorum potestatem præfocando, sed premendo authoritatem, ubi opus est ad ædificationem; neque enim humilitas Pontificum & Episcoporum in eo sita est, ut vel non habeant, aut ignorent, aut non confiteantur, nec tueantur magnitudinem & authoritatem suæ dignitatis, sed ut eâ non utantur, nisi ad animarum salutem, atque harum bono omnes exteriores & temporales prærogativas suæ dignitatis posthabeant. Juge videlicet ipsis exemplum est Chri-

sti

sti humilitas, qui non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & in medio Apoſtolorum erat, ſicut qui miniſtrabat, poteſtatem tamen maximè obtinebat, eandémque non uno in loco palàm teſtatus eſt, præcipuè *Joan. cap. 13.* ubi non magiſter modò, ſed & Dominus agnoſci & vocari voluit: *Vos vocatis me, magiſter & Domine, & bene dicitis: ſum etenim*; ita ipſe vetuit, Apoſtolos Dominos, Magiſtros & Patres vocitari, nempe quò ambitum phariſaicum & faſtum gentilémque celſitudinem dejiceret, non, quò ſaluberrimum & his nominibus conjunctum modeſtum amputaret imperium, quod ratione regulatum & ad ædificationem eccleſiæ ordinatum eſt, juxta illud Matth. 23. v. 11. *Qui NB major eſt veſtrûm, erit miniſter veſter*; unde abrogato faſtu & reſecto ſupercilio,

VI. Quemadmodum vera & propria poteſtas eccleſiaſtici regiminis ſive ſacri imperii ortum & actum ſuum in Chriſto ceu Principe paſtorum habuit, tum vaticinante Iſaiâ cap. 33. *Dominus Rex noſter, Dominus legifer noſter,* tum conteſtante ipſomet Chriſto Joan. 14. *Qui habet mandata mea & ſervat ea &c.* Item cap. 15. *Si præcepta mea ſervaveritis &c.* Rurſus *Marci cap. ult.*

ult. ubi jubentur Apoſtoli, ut doceant omnes gentes, ſervare omnia, quæcunque mandaſſet illis &c. ita hæc poteſtas Petro & Apoſtolis tam ex generali & energeticâ verborum illorum amplitudine: *Sicut me miſit Pater, ita & ego mitto vos*, quàm ex concepta ſingularitate textûs *Matth. 16.*, communicata demonſtratur: *Tibi dabo claves regni cœlorum, quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Item Matth. 18. ad omnes Apoſtolos: *quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis.* Claves enim verò eſſe ſymbola poteſtatis, ordinísque imperantium & parentium, non ſcientiæ aut pædagogiæ duntaxat, oſtendit & vetus & novum teſtamentum apud Iſaiam c. 22. dicit Dominus: *Vade, ingredere ad eum, qui habitat in tabernaculo ad Sobna Præpoſitum templi, & dices ad eum: quid tu hìc? & infra: expellam te de ſtatione tua, & de miniſterio tuo deponam, & erit in die illâ, vocabo ſervum meum Eliacim filium Helciæ, & induam illum tunicâ tuâ & cingulo tuo confortabo eum, & poteſtatem tuam dabo in manum ejus, & erit quaſi pater*

habi-

habitantibus Jeruſalem, & domui Juda, & dabo tibi claves David ſuper humerum ejus, & aperiet, & non erit, qui claudat, & non erit, qui aperiet. Planum ſanè eſt, per clavem David eximiam quandam auctoritatem in hoc præpoſito templi & diſpenſatore theſaurorum, ùt eum vocant 70. interpretes, ſignificari. Id, quod manifeſtiùs adhuc videmus in Apocalypſi: *Hæc dicit Sanctus & verus, qui habet clavem David, quì aperit, & nemo claudit, & claudit, & nemo aperit:* ubi per Claves excellentiſſima Chriſti poteſtas, quam nemo inficias ibit, eodem modo exprimitur. Huc pertinet ejusdem Iſaiæ Prophetæ textus cap. 9. *Factus eſt principatus ſuper humerum ejus.* Ubi deſcribit, claves, velut Principatûs inſignia ſolita ſuper humerum ferri.

Ecquis, amabo, vel de fæce plebis non intelligit, clavibus transferri poteſtatem & dominium? & quis gregarius miles non novit, in bello arcium & urbium jura ſub clavibus includi? quis igitur, cum à Chriſto audit promiſſas & datas Petro claves regni cœlorum, eximiam & hactenus non auditam quandam ſpiritualis regni Chriſti poteſtatem ſive doni magnitudinem in-

effabilem, ùt loquitur S. Chryſoſt. *hom. 26.* eidem concreditam eſſe, inficias ire poterit? quam etiam ſequentium verborum vis, *quæcunque ligaveris vel ſolveris in cælo & in terra*, invictiſſimè concludit. Hiſce quippe verbis manifeſtè continetur, quidquid ad verum & bonum regimen Eccleſiæ requiritur: quidque ad fidem ſtabiliendam eſt neceſſarium, quidquid ad diſciplinam condendam eſt commodum, quidquid ad coercendos Eccleſiæ inobedientes & contumaces eſt utile, ſive ſeveritate opus ſit ad reſtringendum, ſive lenitate & clementiâ ad relaxandum; quoad iſta enim omnia, quodcunque in terris ſolvitur vel ligatur, id quoque in cœlis laxatur vel reſtringitur.

VII. Porrò eadem imperii ſacri veritas proprietasque fit palam ex textu Joan. 21. *Paſce agnos meos: paſce oves meas*, & illo 1. Pet. 5. *paſcite, qui in vobis eſt, gregem.* Profana ſiquidem eruditio æque ac ſacra evidenter uſum communem docet, ſub vocabulo *paſcere*, poteſtatem & officia regiminis deſignari. Sic apud Homerum *L. 2. 3.* Agamemnon græcorum Imperator appellatur *Paſtor.* Apud Virgil. *Georg. 3.* repetitis vicibus Reges nomen habent paſtoris.

Quid

Quid tibi Paſtores Lybiæ, deſertáque regna Paſtorum. Nec inter Poëtas deſunt Philoſophi. Socrates apud Platonem in Minoe & legislatorem & Principem eo nomine inſcribit: *Quod Minos legitimus paſtor populi fuerit, leges ejus argumento ſunt.* Sacra porro ſcriptura frequentiſſimè exclamat: Paſtorem regere, gubernare, præeſſe. Ezech. 37. *Et ſervus meus David rex ſuper eos, & paſtor unus erit omnium.* Iſaiæ 45. *Qui, dico Cyro, paſtor meus es.* 2. Reg. 2. *Paſces populum meum, & eris Dux ſuper Iſrael.* Et Chriſtus ipſe, qui Eccleſiam ſuam ſæpè ſæpiùs regnum vocavit, appellatur Princeps Paſtorum, & Paſtor: *Ego ſum bonus Paſtor.* Et græco latióque idiomate idem eſt paſcere, ac regere juxta illud Pſalmi 22. *Dominus regit me (græcè paſcit me) & nihil mihi deerit, in loco paſcuæ ibi me collocavit.* Et ſicut non alio, quàm paſcendi verbo tota auctoritas electo Regi Davidi data eſt 2 Reg. 5. & 7. ibi *paſces populum meum; cui præcepi ut paſceret. Tu paſces: paſcere Jacob ſervum ſuum.* Ita, ſiquis accuratè velit indagare, quid ſit regere Eccleſiam, inveniet omne regimen eccleſiaſticum in verbo paſcendi comprehenſum eſſe.

VIII. Demum, ſicut Chriſti perfecta ſunt opera, ita & ad regimen Eccleſiæ duraturum usque ad conſummationem ſæculi, deſiderari nihil paſſus eſt, quod ſubſtantialem ejusdem perfectionem conſtitueret. Tres verò perfecti regiminis partes conſtitutivæ & characteriſticæ extant, ſcilicet poteſtas legislatoria, judiciaria & coercitiva, quas ex inſtitutione Chriſti Epiſcopatui in Eccleſia conceſſas & connexas eſſe, tres ſequentes articuli ex Scriptura S. maximè & continua Traditione, veluti bino polari Religionis revelatæ indice, diffusè æquè ac ſolidè ulteriùs demonſtrant.

ARTICULUS III.

Jurisdictio eccleſiaſtica ex legum latione evincitur.

SUMMARIA.

I. *Legum ferendarum poteſtas inſignis eſt character imperium oſtendens.*

II. *Eccleſiæ poteſtas ejúsque Paſtorum in ferendis legibus eccleſiaſticis perſpicua eſt ex veteri & novo teſtamento.*

III. *Emicat eadem potestas ex actis & epistolis Apostolorum, primorum Ecclesiæ Præsidum.*

IV. *Idem demonstratur ex decretis Conciliorum Generalium & particularium.*

V. *Extra Concilia ex summorum Pontificum antiquissimis constitutionibus.*

VI. *Ex Canonum etiam vetustissimis collectoribus, Patribus & historiis.*

VII. *Ex Ecclesiarum plurium venerabunda obedientia, quâ Conciliorum & Pontificum leges olim excepêre.*

I. LEgum ferendarum potestas eximius character est, qui imperium & jurisdictionem evidenter ostendit: unde egregiè Plato scribit, legislationem ad dignitatem Regiam pertinere, & legem esse Principis opus, in Dialogo de Regno. Ipsemet Deus potestatem suam legibus excellenter ostendit Isaiæ 33. *Unus est legislator & judex, qui potest perdere & liberare, Dominus judex noster, Dominus legifer noster, Dominus Rex noster.* Idem ipse legislatores jungit & Reges Proverb. 8. ibi: *Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt.*

II. Satis evidens est potestas Ecclesiæ & ipsius Pastorum in legum ecclesiasticarum latione

tum

tum in veteri, tum in novo teſtamento. Satis evidens eſt illud Deut. cap. 17. *Qui non obedierit ſacerdotis imperio & decreto judicis, morietur homo ille*, ubi Sacerdos non ſolùm conſulit, aut docet, ſed imperat, & quidem ſub mortis imperio. Satis evidens eſt in veteri Eccleſia decretum illud antiquum, quo quartâ & quintâ lunâ poſt decimam inter feſtos dies numerantur victoriæ dies & dedicatio altaris, & ita *Joan. 7.* legitimè à Machabæis celebratur, ut vel Chriſtus feſto interfuerit, dictúmque decretum tanto ſuo comprobârit exemplo. Satis clarum eſt ex Evangelio illud Chriſti Matth. 13. *Super Cathedram Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi, quæcunque dixerint, facite.* Ecce! quomodo vetus teſtamentum & novum mutuo fœdere junguntur? & verba ejusdem textûs ſequentia: *alligant enim onera intolerabilia, & ea digito movere nolunt*, præceptorum vim & obligationem demonſtrant. Ulteriùs ex eodem Evangelio hæc poteſtas in aprico eſt, *Matth. 16. & 18.* ubi & Petro & Apoſtolis à Chriſto dicitur: *Quæcunque ligaveris ſuper terram, erunt & ligata in cœlis, & quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo*, cùm ipſa verba ligandi & alligandi

gandi præceptum ultrò ſignificent. Porro Chriſtus ipſe promulgat: *Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit*; imo præcisè obtemperare jubet præcepto Eccleſiæ, & non obedientibus terribile illud inculcat: *ſi Eccleſiam non audierit, ſit tibi, velut ethnicus & publicanus.* Tandem adeſt ibidem ampliſſima Salvatoris bulla, in præcedente articulo jamjam relata: *ſicut me miſit Pater, ita ego mitto vos.* Ubi nimirum privilegia & poteſtatem Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus communicat, quam à Patre filius acceperat.

III. Elucet eadem poteſtas in actis & epiſtolis Apoſtolorum, veluti primorum Eccleſiæ Rectorum ſive Præſidum, & quidem in Concilio Hieroſolymitano Act. 15. *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra vobis imponere oneris, niſi ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, ſuffocato & ſanguine.* Ubi ab Apoſtolis præceptum imponitur, & nomine *oneris* exprimitur: & clariùs in fine ejusdem capitis ibi: *Perambulabat autem (Paulus) Syriam & Ciliciam, confirmans Eccleſias, præcipiens, cuſtodire præcepta Apoſtolorum & Seniorum.* Eadem poteſtas porro elucet in diverſis ejusdem Pauli Epiſtolis

Laudo vos, quòd ... præcepta mea tenetis. 1. Cor. cap. 11. & alibi 2. Theſſal. 3. *Si quis non obedit verbo noſtro per epiſtolam, hunc notate.* Et iterum 1. ad Theſſal. 4. *Scitis, quæ præcepta dederim vobis?* Et demum clariſſimè 1. ad Cor. 7. *præcipio ego, non Dominus.* En verba præcipiendi ſæpe Paulus congeminat, & à Chriſti præceptis præcepta ſua contradiſtinguit, quatenus oſtenderet, non tantùm ſe leges Chriſti proponere, docere, prædicare, ſed & ſuas imperare. Functio nimirum Epiſcopatui maximè eſſentialis eſt, & Eccleſiæ cumprimis perutilis, tum publicè, tum privatim omnes homines divinas veritates docere non duntaxat cum pædagogica & ſuaſiva charitate, ſed & iisdem annunciare cum auctoritate præceptiva & imperio juxta illud ad Tim. 1. cap. 4. *præcipe hæc & doce.* Item ad Tit. 2. *hæc loquere & exhortare & argue cum omni imperio.*

IV. Infinitum foret, Canones omnes adducere vel in ſumma Eccleſiæ vetuſtate formatos, ſive Conciliorum generalium decreta, ſive ſummorum Pontificum conſtitutiones, ſive Synodorum particularium ordinationes, ſive ſtatuta Epiſcoporum pro ſuis diœceſibus condita & promulgata. Hìc eſt Epiſcopale præceptum

Apo-

Apoſtoli *de bigamis non ordinandis, de non evehendis neophytis, de non recipienda adverſus presbyterum accuſatione, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus.* Hìc adeſt decretum de paſchate in epiſtola Conſtantini ad eccleſias expreſsè à prima Synodo promulgatum: *Libenter hoc decretum, tanquam donum Dei & mandatum reverà cœlitùs demiſſum, amplectamini; nam quidquid in ſanctis Conciliis decernitur, id univerſum divinæ voluntati debet attribui.* Et inter Canones Concilii Antiocheni in Codice univerſo Eccleſiæ coram 4to Concilio relecti primus canon ille eſt: *non licere paſcha diverſo tempore facere, nec cum Judæis celebrare.* Hìc eſt præceptum brevis jejunii, de quo narrat Tertullianus iraſcens Catholicis, non aſſentans: *bene, quia Epſcopi univerſæ plebi jejunia mandare ſolent.* Item S Leo novem ſermonibus jejunia tum voluntaria, tum lege præcepta ingeminat, & quidem ſermone primo ibi: *Obſervantiam quidem veſtram dilectiſſimi ita novimus eſſe devotam, ut animas veſtras non ſolùm legitimis, ſed & voluntariis jejuniis excolatis.*

Promulgant ergo leges ipſa generalia Concilia & Eccleſia in Synodis collecta, eæque ad ſimilitudinem ſacrorum & ſcripturiſticorum libro-

rum canones dici cœperunt, utpote aliquid etiam divinitatis ratione Spiritûs Sancti assistentiæ participantes; quamobrem jam pridem SS. Patres Conciliorum decreta, *statuta Spiritûs Sancti, regulas spiritu Dei instruente conditas, per spiritum verè sanctum ordinatas, Canones spiritu Dei conditos*, ac denique *divinos canones & totius ecclesiæ reverentiâ conseeratos* dicere non dubitârunt.

V. Extra Concilia quoque latus est campus, ubi ex Epistolis Romanorum Pontificum potestas decreta condendi luculenter deducitur. Antiquitatem ipsam primorum sæculorum iterum consulamus. Notissimum est ante Nicœnam Synodum decretum illud, quo Stephanus Papa prohibuit, venientes ab hæresi rebaptizari edicto illo celeberrimo: *nihil innovetur, nisi quod traditum est*: quâ verò authoritate id egerit, exponit acutè S. Hieron. contra Lucifer: *Cyprianus ad Stephanum tunc Romanæ Urbis Episcopum, qui à B. Petro vigesimus sextus fuit, super hâc re Africanam Synodum direxit; Stephanus sibi re delatâ auctoritate Apostolicâ statuit.* Occurrit alterum celeberrimum Romani

mani Pontificis decretum, quod edidit Papa Cornelius, ubi pacem lapsis reddidit, & idololatris ipsis veniam concessit, cujus meminit Eusebius L. 6. cap 35. & Cyprianus Epist 67. ibi: *Jam pridem Collega noster Cornelius sanxit, lapsos quidem ad pœnitentiam posse admitti, ab ordinatione autem cleri atque sacerdotali honore prohiberi.* Nimis notum est decretum Victoris Papæ de celebrando paschate; notissimum verò decretum illud Pontificis Zephyrini, quod Tertullianum jam in hæresim lapsum in eas voces adegit: *Audio, edictum esse propositum & quidem peremptorium; & mox: O edictum! cui adscribi non potest bonum factum, Pontifex scilicet maximus, Episcopus Episcoporum dicit: Ego delicta mœchiæ absolvo Lib.* de pudicitia cap. 1. & rursus cap. 21. *de tua sententia quæro, unde hoc usurpes? si, quia dixit Dominus, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam &c.* & infrà: *adeo nihil ad delicta fidelium capitalia solvendi potestas atque ligandi Petro emancipata.* Liceat de Tertulliano hæretico dicere, quod scripsit Gregorius de Thoma incredulo: plus nobis profuit Tertulliani perfidia, quàm fides, testando videlicet, qualem & quantam in ferendis legibus in secundo sæculo jamjam Pontifices

ſibi aſſeruerint auctoritatem: Tertullianum audivimus Montaniſtam, audiamus & Catholicum Lib. de præſcript. cap. 36. *Si Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis auctoritas præſtò eſt.*

VI. Ulteriùs evolvantur Canonum collectores; ubi paſſim epiſtolis Romanorum Pontificum verba illa præmittuntur: Incipiunt decreta Leonis, decreta Symmachi, decreta Syricii, decreta Innocentii, incipiunt decreta Hormisdæ, decreta Pelagii & Gregorii. Evolvantur Patres & hiſtorici, & invenientur Pontificum reſcripta integra ad religionem & diſciplinam reformandam, prout Auguſtinus epiſtolam Zoſimi, Sixti & Cœleſtini, Athanaſius, Julii & alii aliorum Pontificum reſcripta & decreta allegant.

VII. Audiamus univerſas eccleſias, quantâ & quali reverentiâ & obedientiâ Conciliorum & Pontificum leges olim exceperint? præprimis Hiſpaniam in III. Concilio Toletano ibi: *Permaneant in ſuo vigore Conciliorum omnium conſtituta, & Synodicæ Sanctorum Romanorum Præſulum epiſtolæ, & decernente Hilario Papâ nulli fas ſit ſine ſtatûs ſui periculo vel divinas conſtitutiones vel*

Apo-

Apoſtolicæ ſedis decreta temerare. Audiamus antiquam Galliam in Concilio Turonenſi II. ibi. *Nos ergo hoc ſequentes, quod vel Paulus Apoſtolus vel Papa Innocentius ſtatuit, in Canonibus noſtris inſerentes.* Audiamus Epiſcopos Daniæ epiſt. ad Gelaſium ibi: *Saluberrima Apoſtolatûs veſtri præcepta, quâ oportet, devotione ſuſcepimus...* Audiamus Africam, ubi Patres Carthaginenſes ſcribunt epiſtolam ad Innocentium ibi: *ut ſtatutis noſtræ mediocritatis etiam Apoſtolicæ ſedis adhibeatur auctoritas.* Audiamus denique Orientem univerſum in libello ad Hormisdam, *quia non poteſt Domini noſtri prætermitti ſententia, Tu es Petrus &c. quapropter ſequentes in omnibus ſedem Apoſtolicam, & prædicamus omnia, quæ ab ipſa decreta ſunt.* Superflua foret longior inductio, quâ in temporibus poſterioribus deſcriberentur Eccleſiæ præcepta, utpote & plurima & notiſſima. Porro quamvis exceſſivam eorundem numeroſitatem taxes, non ideo defectum poteſtatis, ſed juſtitiæ duntaxat arguere potes, neque etiam ſuppoſitus abuſus tollit uſum. Sic enim, dum & principibus aſſeritur poteſtas ferendi leges, non eoipſo admittitur, omnes principum leges juſtas eſſe. Neque ſicuti exinde, quòd ſedentes

ſuper

ſuper Cathedram Moyſis onera plurima alligaverint, Chriſtus obſequium ſuſtulit; ita nec Apoſtolus, etſi Paſtores multiplicarent præcepta, liberat ab obedientia, cum generatim dicat: *obedite Præpoſitis veſtris.* Demum ſi adverſariis ultrò largiremur nimietatem aut abuſum in legibus eccleſiaſticis, non utique forent immedicabilia, vel per Concilia, vel eâ, quâ Galli utuntur, methodo, vel humili ad correctionis authoritate legitimâ faciendæ tempus patientiâ; ſicut enim in legibus civilibus multa primitùs rectè inſtituta tractu temporum vergunt in abuſum & gravamen reipublicæ, non tamen, niſi increſcente ſenſim malorum cumulo: lentis paſſibus emendantur congruentiorum legum cuſtodiâ; ita in eccleſiaſticis absque turbulenta ordinis & authoritatis excuſſione patienter expectare decet in iis, quæ politiam & diſciplinam exteriorem concernunt, ſana, quamvis interdum ſera, remedia. Verùm cum nonniſi rationabile obſequium in paſtorali Eccleſiæ Regimine, uti dictum eſt, exigatur, præcepta univerſalia Eccleſiæ adeò multa non ſunt, plurésque Canones ſunt, vel leges judiciales, aut ſpectantes ad ſolos clericos, vel juris naturalis & divini, fidei divinæ, vel traditionis Apoſtolicæ duntaxat

taxat ſunt authenticæ explicationes, aut applicationes, ſive ad caſus & particulares hypotheſes determinationes, aut ex primis & generalibus chriſtianæ moralis principiis deductæ concluſiones.

ARTICULUS IV.

Viva & publica Eccleſiæ authoritas in dijudicandis fidei & religionis cauſis demonſtratur.

SUMMARIA.

I. *Sicut in omni communitate, ita & in ſocietate fidelium judex, qui legem quandoque obſcuram interpretetur, litésque decidat, neceſſarius eſt.*

II. *Porrò ſicut in politica ſocietate lex & judex res duæ ſunt & diſtinctæ, ita quoque in Eccleſia diſtinguantur, neceſſe eſt; neque ſcriptura ille judex eſſe poteſt.*

III. *Commonſtrant id plurimæ de textu & de ſenſu ejus excitatæ controverſiæ.*

IV. *Neque humanam rationem, ſive ſpiritum privatum ſcripturæ accedentem conficere rem, probatur.*

V. *Idem oſtenditur ex eo, quòd regula illa viva & ſpirans fidei debeat eſſe publica, nota, ſimplex, conſtans & uniformis.*

VI. *Item ex eo, quòd debeat ea regula eſſe auctoritativa, quæ omnia neutiquam ſpiritui privato competunt.*

VII. *Pariter ſpiritu eo, præſidentem judicémque agente, interminabiles ſunt lites in regno pacis, & unitatis, quod eſt Eccleſia.*

VIII. *In Eccleſia Chriſti regulam vivam & publicam auctoritatem præter ſcripturam admitti debere, ulteriùs oſtenditur.*

IX. *Talem publicam auctoritatem eſſe penes Eccleſiam, ejúsque Præſules, comprobat Evangelium.*

X. *Pontifices & ſacerdotes veteris legis auctoritatem ſuam in cognoſcendis & definiendis fidei & religionis cauſis exercuerunt.*

XI. *Idem uſus manifeſtius eſt in novo teſtamento Apoſtolorum, Pontificum atque Epiſcoporum in primis tribus ſæculis & ab hinc continuâ praxi corroboratur.*

XII.

XII. *Discrepantibus licèt in aliis scholæ opinionibus, apud omnes tamen orthodoxos infallibilis, spirans & auctoritativa regula fidei & morum est Corporis pastorum Capiti unitorum expressus vel tacitus consensus.*

XIII. *Nec authoritatem Ecclesiæ prava pastorum vita evertit.*

I. IN omni communitate sapienter ordinata non solùm extant leges, quæ suum unicuique officium præscribunt, sed etiam judices, qui legem interdum obscuram interpretantur, juxta legem controversias exortas decidunt, & si hæc generalis sit, ad singulares casuum circumstantias accomodant applicántque. Sacram Scripturam pro lege sua, pro regula fidei & morum, ad quam omnis de religione excitata quæstio expendenda, & ex ejus oraculis dirimenda sit, omnes profitentur: sed cum eadem scriptura in multis plerumque obscura sit, & implicata, neque se ipsam satis evolvat, & explicet, ceu muta, silens ac veluti mortua lex, quæ in varios sensus ac discrepantes sese detorqueri patitur, necesse prorsus est in societate fidelium, quæ statum â Christo ordinatissimè ad unitatem, pacem & charitatem dispositum omnino supponit, judicem aliquem sedere, qui sufficienti authoritate

præditus & ab omni errandi periculo remotus ſenſum illius patefaciat, quæſtiones, diſſidia & lites de fide & religione ortas ultimatò componat ac finiat, diſcordésque animos ita conciliet, *ne fluctuantes ſint & circumferantur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris*, ùt loquitur Apoſt. ad Eph. 4.

II. Sicut porro in Civili ac politica ſocietate pro vitanda in Regno confuſione ac perturbatione lex & Judex duæ res diſtinctæ ſunt, & omnino diſtinguendæ; lex quippe docet, quid ſit agendum, judex verò ex præſcripto legis pronunciat; proin ſicut lex publica eſt, ita & publicâ judicii auctoritate pro dirimendis controverſiis opus eſt; pari modo in Eccleſia, quamvis ſcripturam agnoſcamus omnes, veluti certam ac indubitatam fidei & morum normam ac publicam religionis regulam; hæc tamen, ſi ſola fuerit absque viva & ſpirante publica auctoritate judicandi & interpretandi, nequaquam ſufficit tot & tam quotidianis, quæ circa religionem, imò ipſam ſcripturam maximè & fœcundè creſcunt, quæſtionibus & contentionibus dirimendis & ultimatò dijudicandis: ſanè tota ſapientia Pauli non obſtitit, quominùs epiſtolis ejus & cœteris

ſcri-

ſcripturis ad erroneas pravásque interpretationes homines ſibi relicti abuterentur. Teſte ipſo S. Petro 2. Pet. 3. v. 16. ibi: *In quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant, ſicut & cœteras ſcripturas ad ſuam ipſorum perditionem.*

III. Enim verò duo in ſcriptura ſpectanda ſunt: textus ipſe ſeu littera & ſenſus. De textu, quot amabo controverſiæ? an is, quem modo præ manibus habemus, & ſcripturam vocamus, Dei verbum genuinum ſit? an autographis Prophetarum & Apoſtolorum conformis? an purus & integer ad nos usque pervenerit, vel Judæorum aut Hæreticorum fraudibus ac malitiâ depravatus? Item an verſionem hujus textûs, eâ, quâ par eſt, fide legitimum primigenii autographi vel exemplaris ſenſum referant? an denique hi vel illi libri Canonici ſint vel non? De ſenſu verò & interpretatione ſacrarum ſcripturarum longè plures & graviores exardeſcere diſcordias, in aprico eſt & palam vel ex una iſta Chriſti ſententia: *Hoc eſt Corpus meum*: in ſenſus varios & plane contrarios ita tortâ & ampliatâ, ut horum verborum 80. interpretationes hodie numerentur; clara iſta videntur Auguſtanæ Confeſſioni

addictis ad ſtabiliendam realem ac ſubſtantialem in Euchariſtia præſentiam; ex adverſo clara videntur ſic dictis Reformatis ad eam rejiciendam, & ſolam virtutis præſentiam comprobandam: Quis litem hanc inter illos decretoriè componet? an ipſa ſcriptura? at de illius ſenſu controvertitur, & quisque eam ad ſe inflectere nititur. Quotquot ergo extant (extant autem pene infinita) interpretum ſcripturæ volumina, totidem ſunt aperta ſcripturæ obſcuritatis argumenta. Quamvis verò, quæ obſcura ſunt, ex aliis locis clarioribus illuſtrari & exponi debeant, ſi de illa tamen prætenſa majori aliorum teſtimoniorum claritate diſcordia, ùt paſſim fit, excitetur, an ſcriptura ſimul judex erit? in dubio ac in ſuſpenſo fidem, cujus eſſentia aſſenſum firmiſſimum aliàs importat, tunc hærere ac perpetuò fluctuare, neceſſe eſt. Debet nimirum talis judex inter duos litigantes conſtitui, talémque pronunciare ſententiam, ut litigantium uterque clarè intelligat, quænam ſit judicis ſententia, & alter eorum fateatur, illam pro ſe, alter contra ſe latam eſſe; niſi ita fuerit, quisque in priori ſua ſententia immotus perſiſtet, & interminabilis evadet controverſia: id quod ſolam hactenùs ſcripturam neutiquam

tiquam præſtitiſſe, experientia & vel ipſa duarum Religionum Lutheri & Calvini in Imperio toleratarum diverſitas & conſtans contradictio ibidem facit palam.

IV. Nec humana ratio, aut privatus ſpiritus, ſcripturæ accedens rem conficit: ſicuti enim in omni republica bene ordinata, utì abundè jam dictum eſt, ſedere judices neceſſe eſt, qui legem Principis publicam cum auctoritate publica interpretentur, ac civiles ſubditorum cauſas decretoriâ & ſupremâ ſententiâ dirimant; enim verò, ſi privato cuilibet id licitum foret, quanta inde rerum perturbatio, quanta & quàm perpetua in hac ſocietate confuſio? ita prorſus & à fortiori in Eccleſia eveniret; profectò ejusdem ſecuritati ac tranquillitati proviſum à Chriſto ſatis non fuiſſet, niſi data eſſet quædam regula viva, ſimúlque auctoritas publica, quæ natas de fide ac religione controverſias publico judicio definiret. Et quò tandem evaderet fidei unitas & firmitas, ſi privatorum examini, judicio & interpretationi permitteretur? quisque in fabricando fidei ſyſtemate figulus, & nullus unquam futurus eſſet controverſiarum ac diſcordiarum finis; anceps

ceps & dubius perpetuò hæreret fidelium animus, ac tandem patentissima restaret via ad indifferentiam ac tolerantiam omnium sectarum, & cum hac ad bella non tantùm domestica, sed & ad gravissimas publicasque turbas, regionis insimul unà cum religione facilè eversivas. Quis verò in mentem suam facilè induxerit, tam improvidè à Christo constitutam Ecclesiam, eidémque, quam dilexit, & proprio suo sanguine acquisivit, tam malè prospectum fuisse? In causa fidei nulla inter ecclesias potest esse differentia; nec alia uno, nec alia alio tempore fides juxta illud vulgatissimum Tertulliani lib. de velandis virginibus. *Regula fidei una omnino est, sola immobilis & irreformabilis.*

V. Porro hæc regula viva ac spirans fidei vel ideo publica & nota esse debet, ut proportionata sit naturæ Ecclesiæ, quæ societas visibilis est & conspicua, non exiguo alicui populo, sed nationibus & gentibus omnibus parata; debet item esse una, non multiplex, non quodlibetica, non varia, nec contraria, sed simplex, constans, immobilis & uniformis; sed quàm longè ab his conditionibus distet ille spiritus revelans & proprius unicuique privato homini, quis non videt?

occul-

occultus ille eſt ac latens, non videtur, non auditur, ſicut videri debet & audiri à partibus litigantibus judex, qui ſententiam pronunciat; varius eſt, multiplex, contrarius, ùt patet ex jam dictis: nimirum non eſt ſpiritûs hominis, per ſe ipſum interpretem agere Spiritûs Dei juxta illud Petri 2. cap. 7. v. 20. ibi: *hoc primum intelligentes, quòd omnis prophetia ſcripturæ propriâ interpretatione non fit.* Primum itaque & indubitatum principium adversùs novitates in religione eſt, ſempérque fuit, quòd non ſit privatorum, arrogare ſibi jus & aſſiſtentiam infallibilem Spiritûs S. ad intelligendas & explicandas ſcripturas, ſed hoc Eccleſiæ eſſe, cui Spiritus S. promiſſus eſt; imo verò maxima illuſio & fons omnium hæreſeon & peccatorum eſt, proprium ſpiritum exiſtimare Spiritum Dei.

VI. Accedit, quòd myſteria fidei noſtræ totidem facta ſint à Deo revelata; factorum autem veritas non viâ rationis, ſed unâ auctoritate dignoſci poteſt. Porro natura myſteriorum Dei, quæ tota in abſtruſo, ac recondita & ſupra rationem poſita eſt, nec non conditio ipſa fidei, quæ ſubſtantia eſt rerum non apparentium, & in cujus obſequium intellectus captivandus eſt *Hebr.*

11. v. 1. 2. ad Cor. 10. v. 5. viam poſtulat non privati examinis & diſcuſſionis, cujus & pauciſſimi capaces ſunt, ac labor immenſus & exitus incertus, ſed viam auctoritatis & quidem infallibilis, quæ ſola poteſt obſequium mentis imperare, & omnem altitudinem extollentem ſe adversùs ſcientiam Dei reprimere *1. ad Cor. 10. v. 5.* inſimul absque privata hominis induſtriâ ac labore; auctoritati enim credere, ait S. Auguſtinus, magnum compendium eſt & nullus labor *Lib. de quantit. animæ cap. 7.*

VII. Sanè niſi auctoritatis vinculo levis & inconſtans retineatur humana mens, nihil erit in religione fixum ac ratum; unusquisque in ſuo ſenſu abundans, ad arbitrium dogmata definiet, quæ tot futura ſunt, quot erunt hominum capita: neque enim privatus quilibet id juris habet, ut alios in ſententiam ſuam pertrahat, hinc æternas fore, & interminabiles excitatas circa fidem ac religionem controverſias, & ita excuſſo ſemel auctoritatis jugo neceſſe eſt, rationem humanam ſibi permiſſam nullóque vinculo retentam ex infirmitate & corruptione ſua in omne abſurditatum ac errorum genus præcipitem ruere, nec modum & facultatem habere inde emergendi.

Id

Id quod nimiùm (prô dolor) omnium sæculorum ob oculos ponit experientia.

VIII. Necessariò itaque in Ecclesia Christi non tantùm regula viva, sed & publica semper subsistens auctoritas summúmque tribunal præter scripturam admittendum est, ita nimirum, ut juxta hanc scripturam, veluti regulam motivam seu normam formalem veritatis, sæpe dicta auctoritas tutò procedens, publico & supremo suo judicio circa enatas de rebus fidei & religionis controversias decretoriè pronunciet, & cujus supremæ sententiæ tandem stand um sit & jugiter obsequendum, ipso pronunciante Christo Matth. 15. *Sicut Ethnicum & Publicanum habendum esse, qui Ecclesiam non audierit.* Atque hæc authoritas judicandi & definiendi in Ecclesia relicta, nec simpliciter humana, nec simpliciter divina, sed humana divinitùs inspirata dicenda est; non simpliciter divina, quia Deus immediatè per semetipsum non docet nos, sed per Ecclesiæ suæ ministros ac Pastores; nec etiam simpliciter humana, quia certissima est & erroris nescia: ergò est humana divinitùs inspirata juxta illud, quod ajunt Apostoli in Concilio Hierosolymitano congregati Act. 15. v. 28. *Visum est Spiritui S. & nobis.*

IX. Inerrantem & indeficientem hanc Ecclesiæ publicam auctoritatem divinæ providentiæ & promissionis oracula & bullæ Evangelicæ superabundè confirmant. Matth. 16. v. 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Matth. ult. v. 20. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Et ad Eph. 4. v. 11. & 14. *& ipse* (Christus) *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Doctores & Pastores ad consummationem Sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem Corporis Christi .... ut non circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Et 1. ad Tim. 3. v. 15. *Ut scias, quomodo te oporteat in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.*

X. Usu quoque ac constanti praxi scripturæ tum veteris, tum novi fœderis Pontifices & Episcopos auctoritatem suam in cognoscendis ac definiendis fidei & religionis causis exercuisse, res est tam certa & omnibus explorata, ut proba-

tione

tione non indigeat. Quotquot inter Judæos excitabantur circa legem, præcepta, ceremonias, juſtificationes &c. controverſiæ, judicio atque ſententiâ ſacerdotum, qui erant ad hoc miniſterium conſtituti, diſſolvebantur; duplex verò apud ipſos tribunal ſeu Concilium fuit: unum minus, quod Moyſes ſuadente Jethro *Exod. 18. v. 18.* inſtituit: alterum verò Concilium ſeu tribunal majus, quod Sanedrim vel Concilium ſeniorum vocabatur ex juſſu Dei inſtitutum, Numer. *11. v. 16.* Ad iſtud porro ſuperius tribunal ſeu Concilium ſeniorum deferenda erat, ſiquæ oriebatur majoris momenti de lege, de mandato, de ceremoniis, de juſtificationibus controverſia, *ſi difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris* .... Deut. 17. v. 8. & ſeqq. ait Dominus: *Surge & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniésque ad ſacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore, quærésque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem. Et facies, quodcunque dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerit te juxta legem ejus, ſequerísque ſententiam eorum: nec declinabis ad dextram, neque ad ſiniſtram. Qui autem ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis*

dotis imperio, qui illo tempore miniſtrat Deo tuo, & decreto judicis, morietur homo ille. Neque verò judices illi ſuperiores duntaxat de civilibus judicâſſe dici poſſunt, conſtat enim ex *Lib. 2. paralip. cap. 19. v. 10.* delatas ad eos fuiſſe cauſas de lege, de mandato, de ceremoniis, de juſtificationibus. Et *v. 11.* dicitur: *Amarias autem ſacerdos & Pontifex veſter in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit;* quis verò controverſias de fide & Religione ad Deum pertinere, inficiabitur?

XI. Idem uſus manifeſtus eſt in novo teſtamento; ſolemne eſt ac peremptorium exemplum controverſiæ de obſervandis legalibus, quæ tempore Apoſtolorum excitata fuit, de qua magna conquiſitio facta narratur *Act. 15.* an, qui è gentilibus ad fidem Chriſti convertebantur, jugo circumciſionis ſubjiciendi forent, vel ab eo liberandi? affirmabant aliqui, negabant alii, res delata eſt ad Apoſtolos, ut ipſi in ſolemni Concilio de re tota cognoſcerent ac decretoriè pronunciarent. Hæc verò fuit ſolemnis Apoſtolorum in Concilio hoc Hieroſolymitano definitio: *Viſum eſt Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra vobis imponere oneris, quàm hæc neceſſaria: ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum & ſan-*

guine

guine & ſuffocato & fornicatione. Atque non alio conſilio voluit Deus, controverſiam omnium primam in negotio religionis agitari ac definiri, quam ùt formam & exemplum relinqueret ſubſequentibus Epiſcopis, dijudicandi omnes, quæ circa religionem naſci poſſunt, quæſtiones, certâ ſpe datâ, quòd, ſicut Apoſtolis & ſenioribus adfuit Spiritus Sanctus ope ſingulari in primo omnium Concilio congregatis, ita & ſucceſſoribus pariter Pontificibus & Epiſcopis in nomine Chriſti congregandis pro definiendis fidei & religionis controverſiis ſit adfuturus. Sanè cum oporteat hæreſes eſſe, oportet & tribunal eſſe, quo dijudicentur & damnentur. Id quod experientia omnium ſæculorum evidenter oſtendit, & ita in ætate omnium puriſſima trium primorum ſæculorum, quæ dicuntur ab Apoſtolicis Patribus illuſtrata, eximia apparet: ibi ſcriptura ſcripturæ, traditiones traditionibus opponuntur, & exinde rebaptizandos Hæreticos evincere conantur Afri: inde Evangelium Judaiſmo confœderare Blaſtus tentabat; inde Eccleſiam univerſam ſcindebat Novatus, & Policrates Chriſtum ipſum in quartodecimanorum ſubſidium vocabat; inde Chriſti Divinitas in periculum vene-

rat

rat apud Theodatum, Sabellium, & Simonem; ibi Dei filium non extitiſſe ante matrem dicebatur ab Ebione; ibi novum Paracletum in Eccleſiam introducere contendebat Montanus, & Eccleſiam acutiſſimis telis feriebat ſuî ipſius oblitus Tertullianus; ibi Deus ipſe à Manichæis dividebatur in bonum & malum; ibi hæreſes innumeræ, ibi hæretici gentilibus pejores Nicolaitæ, ibi ubique diſſidia. Quisnam verò tunc Eccleſiæ providit definiendo fidei veritates, & condemnando hæreſes, quàm ipſi Paſtores & Epiſcopi in Conciliis Regionalibus & Epiſcopalibus, quantum tum temporis fieri potuit, congregati, & vel maximè ipſi ſummi Pontifices? cui enim verò non notus eſt in cauſa Simonis Petrus? in cauſa Ebionitarum Clemens; in cauſa Montani Zephyrinus; in cauſa Blaſti & paſchatis Victor; in cauſa Novati Cornelius, & in cauſa baptiſmi Stephanus; in cauſa Dionyſii Alexandrini Dionyſius Romanus Pontifex; in cauſa Donatiſtarum Melchiades &c. Pace verò Eccleſiæ per Imperatores Chriſtianos à perſecutionibus redditâ, cui non nota ſunt Concilium Nicænum cœteráque Generalia & Nationalia, aliáque, ubi exemplo Apoſtolorum congregati Pontifices &

Epi-

Epiſcopi de quæſtionibus fidei, religionis & diſciplinæ eccleſiaſticæ judicium ſuum depromebant, atque ex ſuis concluſis decreta & ſymbola fidei formata univerſæ Eccleſiæ decretoriè proponebant, diſciplinámque eccleſiaſticam conſtabiliebant: verbo, non alia fuit per omnia ſæcula Eccleſiæ, quàm judicantis, decidentis, ſymbola & decreta fidei morúmque condentis idea.

XII. Ut ùt autem non uno modo ſuam hanc auctoritatem in cognoſcendis & dijudicandis rebus fidei & religionis Eccleſia explicet, atque hactenus exercuerit, aliquando per ſolos Pontifices, aliquando per Epiſcopos, ſive in Conciliis ſive extra Concilia, ſive per litteras & conſenſum eorundem vel expreſſum vel tacitum; ùt ùt circa ejusmodi modos opiniones & diſceptationes ſcholæ & Doctorum adhucdum ſuperſint & differentes ſententiæ; ùt ùt, cum Deus reliquerit mundum diſceptationibus, in hiſce ſcholæ opinionibus perfecta in ipſa Eccleſia ſentiendi detur libertas; attamen in dogmatibus ſemel definitis perfecta ubique & ſemper omnium rectè credentium concors ſtat unitas. In ſubſtantia ergò & in eo hi omnes conveniunt, & firmâ fide tenent, quòd Corporis paſtorum, ſive omnium

Epiſcoporum, aut ferè omnium ſuo Capiti ſummo Pontifici unitorum & communicantium conſenſus expreſſus vel tacitus ſuprema & ab omni erroris periculo tuta & ſpirans activa & authoritativa in controverſiis fidei extans ſit veritatis regula, de qua rectè S. Auguſtinus famoſo illo edicto contra epiſtolam Fundamenti cap. 4. pronunciat: *Ego verò Evangelio non crederem, niſi me moveret Catholicæ Eccleſiæ authoritas.* Et Lib. de unitate credendi cap 17. *Eccleſiæ nolle primas dare vel ſummæ profectò impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ.*

XIII. Neque ejusdem Eccleſiæ authoritati, nec doctrinæ veritatis, quam Deus in Cathedra unitatis conſtituit, quicquam deperit per pravam miniſtrorum vitam; oppoſita ſanè eſt ratio agendi Chriſti Domini filii Dei rationi agendi filiorum hujus ſæculi: ille in imperfectis etiam atque indignis Vicariis & miniſtris ſuam authoritatem cum reverentia reſpici obſervarique mandat juxta illud Matth. 23. v. 2. & 3. ibi: *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, omnia, quæcunque dixerint vobis, ſervate & facite: ſecundùm opera eorum nolite facere: dicunt enim & non faciunt.* Hi eccleſiam tradiderunt, ejus

doctri-

doctrinam infamarunt, authoritatem ſibi uſurparunt, unitatémque ruperunt ſub prætextu abuſuum in diſciplina, ſuperſtitionum in praxi, diſſolutionis in vita paſtorum & miniſtrorum Eccleſiæ; cum tamen, quod à corrupta horum voluntate proficiſcitur, ipſorum ſit & rejiciendum; veritas econtra & authoritas à JESU Chriſto & Apoſtolis profectæ, Dei ſint, nec violandæ. Fides enim verò neutiquam in vita miniſtrorum ſita eſt, ſed in viſibili authoritate Eccleſiæ, quæ nihil ſua authoritate firmat, niſi, quod à JESU Chriſto per traditionem Apoſtolorum & eorum, qui ipſis ſucceſſerunt, accepit. Mira profectò eſt Dei providentia, cui placuit, ut, quam ſequi oportet, authoritas in Corpore paſtorum etiam viſibilior eſſet, quàm, quod rejiciendum eſt, pravum ſingulorum exemplum; ne fides videlicet & ſalus ſimplicium penderet vel à diſcuſſionibus, quibus impares ſunt, vel à pravis paſtorum aut miniſtrorum aliquorum exemplis, quibus abripi poſſent, niſi viſibilem & per Corpus paſtorum univerſim receptam tutámque haberent regulam, ad quam debent & poſſunt fidem & mores ſuos exigere.

ARTICULUS V.

Imperium ſacrum Paſtorum in infligendis pœnis ſpiritualibus comprobatur.

SUMMARIA.

I. *Pœnis opus eſt in Eccleſia ad coercendos malos, neque libertas Chriſti, in quam aſſerti ſunt fideles, pœnas ejusmodi improbat aut excludit.*

II. *Poteſtate eâ punitoriâ Epiſcopi à Chriſto inſtructi ſunt, nonniſi ex charitate paſtorali exercendâ.*

III. *Hanc ipſam poteſtatem brevi, ſed nervoſâ deſcribit S. Auguſt. ſententiâ.*

IV. *Ad pœnas ejusmodi ſpirituales magis formidabiles & ſalutares reddendas Chriſtus Apoſtolos eorúmque ſucceſſores inſtruxit poteſtate ſacrâ, quâ contumaces non tantùm œconomicè ſegregarent, ſed authoritativè & intùs eorum animas ligarent: id quod probatur primò ex Evangelio.*

V. *Idem demonstratur secundò ex usu Apostolorum & praxi primitivæ Ecclesiæ.*

VI. *Tertiò ex usu post tempora Apostolorum continuato, cujus testis est præcipuus Tertullianus.*

VII. *Luculenta SS. Cypriani & Hieronymi in eandem rem adducuntur testimonia.*

VIII. *Quibus SS. Augustinus & Chrysostomus apprimè consentiunt.*

IX. *Tandem antiquitas & universa Ecclesia in prioribus & posterioribus seculis usum clavium in ferendis censuris contestantur.*

X. *Neque desunt exempla latarum censurarum adversus Imperatores, Reges & principes: qui usus tamen maximè circumspectus esse debet.*

I. QUanquam justi quodammodo sub lege non sint, nec timore pœnæ agantur, sed ipsi sibi lex sint, & ultrò ad bonum se agant juxta illud Apostoli ad Galatas 5. v. 18. *Si Spiritu agimini, non estis sub lege.* Si quando verò peccent, tum utique sub lege sunt, & sub legis Dilatore & Executore, Magistratu nempe terrente & puniente. Itaque si membra Ecclesiæ omni corruptionis labe carerent, nec nisi vera & viva Christi membra spiritu veritatis ac charita-

tis unitate jugiter animata in Eccleſia exiſterent, ac ſponte ſuum unusquisque obiret officium, nec ab unione, nec ab ordine ſtabilito recederet, legibus maximè pœnalibus opus haud foret; cùm verò id in hoc mundo ſperare non liceat, & oporteat eſſe ſcandala & hæreſes, animis hominum tot malorum ſeminibus gravidis, legibus opus eſt, opus pœnis, opus interdum vi, ad peſſimos è ſocietate removendos, opus eſt Magiſtratibus, opus eſt demum imperio, ſine quo nulla ſocietas ſubſiſtit. Neque libertas, quâ in Eccleſia Dei â Chriſto donati ſumus, inde Chriſtianos eximit, quin potiùs eosdem ſubjectiores facit voluntati Dei, & iis, quibus nos ſubjicit illa voluntas. Spiritus Dei & vera religio non inſpirat, nec ſtatuit independentiam, & exlegem acephaliam, atque verus & ſecundùm fidem Evangelii vivens Chriſtianus non cogitat ſe eximere, niſi à ſervitute peccati, & dominatu concupiſcentiæ & paſſionum ſuarum.

II. Quemadmodum ergo in ſocietate civili legislator & judex debet habere auctoritatem coactivam, alioquin nihil prodeſſet ejus judicium, & vana eſſet legis obligatio, maximè adverſus eos, qui non amore juſtitiæ, ſed metu

pœnæ

pœnæ à malo retrahuntur; ita & in Eccleſia, quæ eſt ſocietas à Chriſto ritè ordinata, & in qua poſuit Spiritus S. Epiſcopos regere eandem, eosdem velut Superiores idem Chriſtus eâ auctoritate inſtructos eſſe voluit, quæ neceſſaria eſt, ut ſacræ leges, ordo, unitásque conſervetur, ſcandala purgentur, hæreſes & ſchiſmata cohibeantur, & contumaces compeſcantur. Verùm, cum Chriſtus nolit mortem peccatoris, ſed magìs, ut convertatur & vivat, imperium equidem & poteſtatem coactivam Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus Epiſcopis conceſſit, nihilominùs paſtorali charitate eandem ita temperatam voluit, quatenus non eſſet tyrannicus dominatus gentium ad perdendum & occidendum, ſed ad caſtigandum, emendandum, ſanandum & ſalvandum.

III. Undè rectè hanc poteſtatem S. Auguſtinus contrà epiſtolam Parmeniani appellat terribilem lenitatem & charitatem ſivè miſericordiam ſeveram; nimirùm cùm ex charitate ſola Eccleſiæ nihil proficiunt peccatores, ſed magis contumaces & Eccleſiæ rebelles evadunt, debet illa recurrere ad ſuam auctoritatem, vel ad eos humiliandum, vel ad eos, qui propriæ ſalutis

curam

curam gerere nolunt, eo in ſtatu ponendos, ut non poſſint ſalutem aliorum impedire, purgando ſcilicet Eccleſiam, & per publicam & externam reſciſſionem criminoſi à Corpore Eccleſiæ præcavendo, ne reliqua Eccleſiæ membra ex contagio & infectione hujus membri inficiantur, juxtà illud Apoſtoli: *modicum fermentum totam maſſam corrumpit*, & quod experientiâ notiſſimum, quia una ovis morbida totum gregem inficit.

IV. Ut verò arctior in Eccleſia diſciplinæ nexus conſervaretur, neque pœnæ ejusmodi ſpirituales, ſi merè externæ forent, ſimplicémque duntaxat & œconomicam à reliquo cætu fidelium ſegregationem importarent, illuſoriæ facilè evaderent, & ad evanidum muliercularum & indoctæ plebis terrorem duntaxat introductæ cenſeantur, voluit Chriſtus, ut hæ etiam intùs ſivè animam ligarent; in quem finem Apoſtolos & eorundem ſucceſſores ſacro imperio ſivè poteſtate ligandi & ſolvendi in terra & in cœlo inſtructos voluit, id quod oſtenditur primò ex Scripturis *Matth. 16.* ubi Chriſtus alloquens ſanctum Petrum, hanc ipſi poteſtatem promiſit ac tradidit his verbis ampliſſimis: *Tibi dabo claves regni*

gni cælorum; & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit & ligatum in cælis, & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis. Porrò quod Petro nominatim ob primatûs dignitatem promiſit Chriſtus, cæteris etiam Apoſtolis conceſſit *Matth. 18. v. 18.* ibi: *quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt & ligata in cælis &c.* Omninò verò notanda ſunt ea, quæ præcedunt verba in eodem capite v. 15. & ſeq. de correctione fraterna, ubi Chriſtus ita inquit, *ſi peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum, ſi te audîerit, lucratus es fratrem tuum; ſi autem te non audièrit, adhibe tecum vel unum, vel duos, ut in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum: quodſi non audîerit, dic Eccleſiæ, quodſi Eccleſiam non audièrit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* Exindè duo in aprico ſunt. Primum eſt, quòd nomine Eccleſiæ Chriſtus Petrum & Apoſtolos & eorum ſucceſſores, Epiſcopos ſcilicet & paſtores deſignaverit, interprete S. Chryſoſtomo Homil. 16. in Matth. *dic Eccleſiæ: dic præſulibus & præſidentibus.* Alterum eſt, quòd auctoritas abſcindendi peccatorem à corpore Eccleſiæ, tanquâm ethnicum & publicanum, pars ſit vel appendix poteſtatis clavium,

ligandi, atque ſolvendi in cœlis ac in terra à Chriſto prædictis verbis expreſſæ.

V. Idem demonſtratur ſecundò ex uſu Apoſtolorum & praxi primitivæ Eccleſiæ, quamvis enim Apoſtoli ſeſe agnoverint Chriſti miniſtros & diſpenſatores myſteriorum Dei, ſimul tamen agnoſcebant, ſe non donatos nudo miniſterio annuntiandi evangelium, ſed inſuper ſortitos à Chriſto eſſe poteſtatem jubendi, quæ ſunt ad ſalutem fidelium neceſſaria, & caſtigandi noxios ac inobedientes; cujus rei multiplex exemplum habemus, & in Petro Apoſtolo, Simonem Magum excommunicante *Actor. 8.* & maximè in Apoſtolo Paulo, qui, ſicut ſe poteſtatem ſuam à Chriſto accepiſſe, aſſerere & eâdem gloriari non dubitavit *2. ad Cor. 10. v. 8.* ibi: *& ſi ampliùs gloriatus fuero de poteſtate noſtra, quam dedit nobis Dominus in ædificationem, & non in deſtructionem, non erubeſcam:* ità & eandem vel intentando pœnas, præcipuè excommunicationem, vel easdem infligendo, palam oſtendit: ſic *2. Cor. 10. v. 6.* apertè dicit: *in promptu habentes ulciſci omnem inobedientiam:* & 1. Cor. 4. v. 21. quid *vultis, inquit, in virga veniam ad vos, an in charitate & ſpiritu manſuetudinis?* ſic excom-

excommunicavit & Sathanæ tradidit Corinthium inceſtuoſum *1. Corinth. 5. v. 3.* ibi: *ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, jam judicavi ut præſens eum, qui ſic operatus eſt, in nomine Domini noſtri JESU Chriſti, congregatis vobis & meo ſpiritu cum virtute Domini noſtri J. C. tradere ejusmodi Sathanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini noſtri JESU Chriſti.* Ita quoque Hymenæum & Alexandrum idem excommunicavit *1. ad Timoth. 1. v. 20.* ibi: *ex quibus eſt Hymenæus & Alexander, quos tradidi Sathanæ, ut diſcant non blasphemare.* Ad oſtendendum nimirùm in primitiva Eccleſia, quàm terribilis pœna ſit excommunicatio, excommunicati nonnunquam traditi ſunt viſibiliter Sathanæ, voluítque Chriſtus ipſos rebelles angelos ſubjici & obedire debere Eccleſiæ, ut iisdem uteretur, tùm ut ejus auctoritas magìs conſpicua, tùm ut pœnæ ejusmodi ſpirituales, animámque ligantes præ pœnis temporalibus magìs formidabiles, tùm ut filii ſui magìs dociles, magísque obedientes redderentur.

VI. Tertiò. Quòd etiam mox poſt tempora Apoſtolorum uſus & praxis infligendi pœnas ſpirituales, maximè verò excommunicationem, in

communi ſenſu, quòd intùs ligent animam, & quòd ex auctoritate clavium ligandi in cœlo & in terra vim & operationem ſuam exerant, continuata fuerit, egregiè oſtendit amicus & hoſtis antiquiſſimus Tertullianus, & quidem in *Apologet cap. 39.* ubi de conventibus Chriſtianorum inter alia multa hæc dicit: „ Etiam exhor-
„ tationes, caſtigationes & cenſura divina: *nam*
„ *& judicatur cum magno pondere, ut apud cer-*
„ *tos de Dei conſpectu, ſummúmque futuri judicii*
„ *præjudicium eſt*, „ ſiquis ità deliquerit, ut à com-
„ municatione orationis & conventûs & omnis
„ ſancti commercii relegetur „ Cum verò auctoritas peccatorem ligandi, velut ethnicum & publicanum, atque ùt talem reſcindendi à corpore Eccleſiæ dependeat à poteſtate clavium, non ſecùs atque auctoritas ſolvendi, eadémque poteſtate ſivè actu clavium uſi ſint Romani Pontifices, aliíque Epiſcopi in excommunicandis peccatoribus obduratis & rebellibus, quo urebantur in reconciliandis pœnitentibus, idem Tertullianus ſeverus vindex praxeos in excommunicando, & originis ejusdem aſſertor eſt in *ſcorpiac:*
„ memento hîc claves Dominum Petro & per
„ eum Eccleſiæ reliquiſſe, „ mutatus à ſe ipſo,

&

& nunc Montaniſta hæreticus praxin, quæ in Eccleſia Romana tùm temporis, in ſecundo ſcilicet, puriorísque diſciplinæ ſæculo viguit in reconciliandis pœnitentibus peccatoribus capitalium & graviorum peccatorum e. g. mœchiæ reis &c. reprobat, & acerrimè impugnat ex erroneo & hæretico principio, quòd Petro perſonaliter duntaxat poteſtas clavium ligandi & ſolvendi à Chriſto collata fuerit: Ait enim *libro de pudicitia cap. 21.* ad Zephyr. Papam: „ de „ tua nunc ſententia quæro, unde hoc jus Ec„ cleſiæ uſurpes: ſi, quia dixerat Petro Dominus: „ ſupra hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, „ tibi dedi claves regni cœleſtis: vel quæcun„ que alligaveris vel ſolveris in terra, erunt al„ ligata vel ſoluta in cœlis, idcircò præſumis, „ & à te derivaſſe alligandi & ſolvendi poteſta„ tem, id eſt ad omnem Eccleſiam Petri propin„ quam; qualis es evertens atque commutans „ manifeſtam Domini intentionem, *perſonaliter* „ hoc Petro conferentem &c.

VII. Ampliùs ex hoc jure clavium & poteſtate ſolvendi & ligandi in terra & in cœlo ſacrum Epiſcoporum in Eccleſia imperium, & exinde auctoritatem excommunicandi S. Cypria-

num deduxiſſe, epiſtolæ ejusdem diverſæ veluti 3. 33. & 59. & alibi paſſim atque abundè comprobant: juvat hoc loco duntaxat adducere textum ejusdem in *epiſt. 62.* ubi eandem excommunicandi poteſtatem ex jure ſacerdotali Moſaïco repetit, & argumentum à pari ita format: „ Interfici Deus juſſit ſacerdotibus ſuis non ob„ temperantes, judicibus à ſe ad tempus con„ ſtitutis non obtemperantes; ſed tùm quidem „ gladio occidebantur, quando adhuc & cir„ cumciſio carnalis manebat; nunc autem, quia „ circumciſio ſpiritualis eſſe apud fideles Dei ſer„ vos cœpit, ſpirituali gladio ſuperbi & contu„ maces necantur, dum de Eccleſia ejiciuntur, „ neque enim vivere foràs poſſunt, cùm domus „ Dei una ſit, & nemo ſalvus eſſe, niſi in Eccleſia, „ poſſit.„ Aſſerit his verbis Epiſcopis magiſtratum quendam, qualem ſummi ſacerdotes cum imperio apud judæos geſſerunt: ſecundò jus gladii ſpiritualis, quem in excommunicatione ponit, & in ea primarias partes Epiſcopis aſſignat: tertiò jus interficiendi immorigeros ſpiritualiter, dùm excommunicationi jacturam ſalutis æternæ adſcribit, & ſalutem ad unionem cum externa Eccleſia adſtringit. Idem ſentit

S. Hie-

S. Hieronymus *epiſt. 1.* „ Nunc inobediens „ mucrone truncatur, aut ejectus de Eccleſia „ valido ore dæmonum diſcerpitur.

VIII. Porrò S. Auguſtinus hujus dogmatis inſignis aſſertor eſt, ùt docent loca à Gratiano ex ejus ſcriptis excerpta. Imus occurrit *Can. 6. cauſ. 24. quæſt. I.* ibi: „ Quodcunque ligaveris „ ſuper terram: ſi hoc Petro tantùm dictum eſt, „ non favit homini Eccleſia, ſi autem in Eccle- „ ſia fit (uti, quæ in terra ligantur, in cœlo ligen- „ tur, & quæ ſolvuntur in terra, ſolvantur in „ cœlo; quia cùm excommunicat Eccleſia, in „ cœlo excommunicatus ligatur; cùm recon- „ ciliat Eccleſia, in cœlo ſolvitur excommuni- „ catus) ſi ergò hoc in Eccleſia fit, Petrus „ quando claves accepit, Eccleſiam ſanctam ſi- „ gnificavit. „ Alter occurrit in *Can. I. Cauſ. ead. quæſt. 3.* ubi diſquirit, utrùm pro peccatis patris anathemate feriendus ſit filius, reſpondit ad exempla in veteri lege adducta „ hæc enim „ fuit corporalis pœna, quâ legimus, quosdam „ contemptores Dei cum ſuis omnibus, qui ejus- „ dem impietatis participes fuerunt, pariter in- „ terfectos; tùm quidem ad terrorem viventium „ mortalia corpora perimebantur quandoque

utique

„ utique moritura; ſpiritualis autem pœna, quâ
„ fit, quod ſcriptum eſt: quæ ligaveris in terra,
„ erunt & ligata in cœlo, animas obligat &c.„ Adſtipulatur S. Chryſoſtomus in *cap. 18. Matth.* ubi multis Evangelii textibus, & Pauli exemplo confirmat, apud Deum & homines excommunicari, qui à Pontificibus & Epiſcopis excommunicantur; atque eandem anathematizandi poteſtatem Apoſtolis & eorundem ſucceſſoribus, velut propriam agendi auctoritatem eſſe, idem tuetur *homil. de anathemate* ibi: „ Heus quis tu
„ tantæ auctoritatis, qui tantam tibi uſurpas
„ anathematizandi poteſtatem? cur dignitatem
„ tantam aſſumis, quæ *Apoſtolis tantùm communicatur, & iis, qui illorum ſunt idonei ſucceſſores?*

IX. Tandem cum quatuor primis Conciliis & antiquitas & Apoſtolici Canones & Eccleſia univerſa in prioribus & poſterioribus ſæculis praxin ferendi cenſuras, & maximè uſum clavium in excommunicando conteſtantur, ità, ut, cum primò incepit Eccleſia eſſe, inceperit eadem excommunicare, & continuatæ hujus diſciplinæ tot extent argumenta, quot ferè ſtatuta Conciliorum, conſtánsque Patrum ſententia in eo,

quòd

quòd excommunicationem velut gladium aut mucronem ſpiritualem eſſe, quo rebellibus & contumacibus mors quædam ſpiritualis corporali quodammodò gravior infligitur, paſſim cenſeant, ſacrum & verum in Eccleſia dari imperium, apertè ſupponit.

X. Exempla porrò in omni ferè ſæculo ex utraque hiſtoria non deſunt, quæ anathemate hoc ſacro perculſos ipſosmet chriſtianos Principes conteſtantur, inſimúlque poteſtatem uſúmque clavium in ferendis cenſuris contra Imperatores etiam ac Reges, præſertim à fide devios & Eccleſiæ perſecutores confirmant; neque tamen nimiam facilitatem concedunt canones, ſed ſummam circumſpectionem, moderationem, modeſtiam erga eosdem hâc in re commendant, generatímque parcum & ſobrium earundem uſum præcipiunt. Porrò ſicut Theologorum nemo hucusque aſſeruit, ſummum Pontificem in infligendis cenſuris procedere infallibiliter, ſed quòd errare poſſit nimiâ ſeveritate, ſicut in diſpenſando nimiâ indulgentiâ; ita, cum cenſura ſit pœna ſacra & ſpiritualis, dependens à poteſtate & uſu clavium, proin defœcata ab omni terreno & privato affectu eſſe debeat, media licita

& efficacia contra intempestivam facilitatem easdem censuras ferendi, aut abusum earum, citra juris ordinem & ex sequioribus motivis latarum, pro sui tuitione reverenter opponenda, Principibus non desunt, quin propterea sacerdotium inter & Imperium aut regnum schismatica collisio, perpetua divisio, aut hujus ab illo totalis secessio consequi debeat.

ARTICULUS VI.

Gubernationem Ecclesiæ & sacrum ministerium nec penes populum esse, nec à populo in Episcopos, cæterósque Ecclesiæ ministros derivari probatur.

SUMMARIA.

I. *Ex præmissis omnibus elucet, gubernationem Ecclesiæ à Christo institutam & usque huc continuatam, non nisi fuisse præfecturam Episcoporum, Pastori cuidam supremo canonicè subordinatam.*

II. *Ex-*

II. *Exponitur dilucidè potestas Ecclesiæ temperata, & quatenus de singulis formis regiminis participet.*

III. *In ea populus non exercet potestatem, neque eidem utile id fore, demonstratur ex variis rationibus.*

IV. *Neque Ecclesiasticæ potestatis origo sive proprietas rectè collocatur in ipsa fidelis populi communitate.*

V. *Id repugnat particulari Christi concessioni & privilegio.*

VI. *Apertè quoque contrarium cernitur ex Apostolorum factis.*

VII. *Econtra verò quàm maximè consonum est sacræ Scripturæ, dicere, Apostolis & Episcopis Ecclesiæ regendæ potestatem à Deo esse concessam.*

VIII. *Idem evincitur perspicuè ex primis Conciliis, totâque Ecclesiæ antiquâ Politiâ.*

IX. *Omnium sæculorum experientiâ constat, nullum Democratiæ vestigium in Ecclesia unquam esse repertum, præsertim in constitutione ejus ministrorum: ubi & explicatur, quam subîerit rationem consensus populi.*

X. *Neque Christus, neque Apostoli aut verbo aut facto aliquo detulêre plebi necessariam Epi-*

ſcoporum vel miniſtrorum Eccleſiæ electionem.

XI. *Præfocantur explicatione quædam objectiones peti ſolitæ ex Actis Apoſtolorum, & quibusdam PP. ſententiis.*

XII *Item factum Chriſti jubentis, peccatorem contumacem denuntiandum eſſe Eccleſiæ, exponitur.*

XIII. *Subjicitur univerſalis quædam politiæ chriſtianæ regula, juxta quam facta plura & geſta Epiſcoporum requirentium populi conſenſum, declaranda ſunt.*

XIV. *Eadem res uberiùs deducitur ex Apoſtolo Paulo.*

XV. *Poſtremò explicatur, quo ſenſu S. Auguſtinus dicat, quòd Eccleſia Epiſcopos conſtituat in ſedibus Apoſtolorum, & quâ ratione Epiſcopi perſonam gerant Eccleſiæ, ejúsque ſint miniſtri.*

I. EX deductis hactenùs abundè pateſcit, quòd communis totius Eccleſiæ gubernatio ab ipſo Chriſto inſtituta, & ab ejus aſcenſione in cœlum usque huc continuata, alia non fuerit, quàm Epiſcoporum præfectura, Paſtori alicui

alicui ſupremo, qui primatum honoris & juris-dictionis habet, canonicè ſubordinata. Eſt hoc Eccleſiæ regimen eo modo temperatum, ut, quæ in quoquo gubernationis genere optima ſunt, in eam ſimul aggregentur. Ità Romanus Pontifex velut Petri ſucceſſor ſupremam quidem, ſed ſuavem, paternam, fraternam & clementem præfecturam habet, cui neceſſe eſt, alios paſtores tanquàm fratres, Collegas & Cooperatores in partem ſollicitudinis adjungi, quorum etiam conſilium, judicium & ſententiam in eo numero, modo, & genere, quod boni viri arbitratu Eccleſiæ Dei neceſſarium videtur, in gravioribus quibusque negotiis ità adhibere primus ille Paſtor ſoleat, ut interim nec infimum quidem ex fideli populo contemnere, illius conſilium, admonitionémque fraternam rejicere, aut etiam eundem (ſi tamen idoneus eſſet) à ſuſcipiendo magiſtratu, ad quem ritè eligeretur, penitùs rejicere fas ſit.

II. Itaque cùm unus aliquis præficitur aliis omnibus, ut neque in eos tyrannicè dominari permittatur, & prætereà optimatum & ſapientum judicia & conſilia audire, & quando id æquum eſt, ſequi debeat, idémque ut neminem ido-

 neum

neum ex populo à ſummo etiam magiſtratu gerendo repellere queat, hinc obtinetur illa perfecta reipublicæ forma, quam veteres Philoſophi optare fortaſsè poterant, ſperare verò nunquam audebant, propterea, quòd ignorabant, ſapientiam Dei tantum bonum hominibus in Eccleſia Chriſti eſſe collaturam. Per hunc verò gubernationis modum ante omnia gentium tyrannides ab Eccleſia removentur, utpote in qua non propriè dominorum & ſervorum, non Regum, & ſubditorum, ſed Patrum, fratrum & filiorum nomina audias: quemadmodùm verò dulciſſima iſtorum nominum conſuetudo paſtores admonet, ut omnes chriſtianos, velut fratres ac filios ſuos, & ament & colant; ſic inter multos Coepiſcopos unius præſidentia efficit, ut optimatum ſtudia, & variæ ſententiæ in factiones deſinere non facilè poſſint; ſimul ac enim ab illius communione, qui primus omnium eſt, quisquam cum pertinacia defecerit, mox à cæteris ſchiſmaticus & eccleſiaſticæ pacis violator habetur, veluti qui cathedram adulterinam contra unicam & ſingularem Petri Cathedram erigit, ùt loquitur Optatus Milevitanus *L. 2. de ſchiſmate Donatiſtarum.* Ità adſunt conſilia varia, quibus Eccleſia juvetur,

nec

nec timentur factiones optimatum, quibus eadem discerpatur. Demùm cum nihil majus à plebe secundùm rectam rationem optari possit, quàm ut, siquis in ea est, qui supra cæteros dona sapientiæ & scientiæ divinitùs accepit, quis segregetur ab ea, nec ob id à præfectura ecclesiastica rejici queat, quòd vel idiotæ sit filius, vel non ex tribu sacerdotali natus, vel ob quampiam aliam ejusmodi minùs liberalem causam; sivè ut aditus ad gerendos magistratus cuivis bono & prudenti viro ex æquo pateat, quo in populari statu dignius nihil est. Sanè pulchriorem nemo sibi formaverit in republica ordinem, quàm hic est, in quo plebeji, qui bene se gesserint, ad summos ecclesiastici honoris gradus quotidiè ascendunt mediante segregatione & sacrâ ordinatione, & ideò in liberrima republica degunt: in quo plurimi Episcopi tanquàm optimates existunt, ut, *ubi sunt multa consilia, illic* secundùm sapientis dictum Prov. 11. *sit salus*: in quo denique unus omnium est primus primatu honoris, authoritatis & jurisdictionis, qui cæteros in officio & ordine, pace & unitate contineat, confirmétque aliquando fratres suos.

III.

III. Ut autem vulgus ipſum per ſe dominetur, hoc neque ipſi quidem vulgo eſt utile, propterea quòd major plebejorum pars rudis ſit atque ignara tùm divinæ legis, tùm earum litterarum, in quibus ea lex vel primùm ſcripta, vel poſteâ interpretata, vel explicata eſt; & quâ ratione divinæ fidei magiſterium, & Eccleſiæ gubernacula eidem plebi aſſeremus, quam teſte S Auguſtino *ep ſtola Fundament. cap. 4.* „ non intelligendi vivacitas, ſed credendi ſimplicitas tutiſſimam facit?„ Porrò cùm nil ità peculiare ſit fidei, quàm perpetua conſtantia & inconcuſſa immobilitas; *fides quippè evangeliorum eſt, non temporum:* quî ejusdem fundamentum in vulgo collocari poterit, de quo rectè S. Ambroſius ait 5. *Hexam. cap. 31.* „ non merita virtutis expendit, nec publicæ utilitatis emolumenta rimatur, ſed mobilitatis nutat incerto:„ & S. Hieronymus *cap. 22. in Mathæum* „ ſemper turba mobilis eſt, nec in propoſita voluntate conſiſtens, atque in morem fluctuum, diverſorúmque ventorum huc illúcque transfertur. „ Denique cùm viſibilitas, quæ propria eſt & ſingularis Eccleſiæ Chriſti, ea ſit, quæ eminenti quâdam & permanenti claritate inter alias ſocieta-

tes

tes per totum orbem omnibus conſpicua reddi-
tur, in plebeja & æquali quadam vulgi ſocietate,
quam maximè ſcriptura horret Oſeæ cap. 2. *Et erit*
ſicut populus & ſacerdos, conſiſtere nequaquam
poteſt.

IV. Neque Eccleſiaſticæ poteſtatis ac juris-
dictionis fons, origo ac fundus ſeu proprietas
in ipſa fidelis populi communitate rectè colloca-
tur, quaſi miniſterii uſus duntaxat & exerci-
tium in paſtores, tanquam populi vicarios ac de-
legatos, ab eodem derivetur. Enim verò unica
ac certa norma, ſecundùm quam Eccleſia guber-
natur, ex ulla alia repeti non poteſt, quàm ex
ipſius Chriſti factis atque inſtitutis; cùm ergò
Chriſtus omnes magiſtratus ſuâ auctoritate crea-
verit, vocans ad ſe, ut Evangelium ait Marci 3.
quos voluit ipſe, egerítque omnia cum Apoſtolis,
nihil cum plebe, committens illis, non huic Matth.
28. v. 19. *data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo &*
in terra, euntes ergò docete omnes gentes baptizan-
tes eos in nomine Patris & Filii & Spiritûs S.
eosdémque, non plebem, poteſtatis ſuæ, quam à
Patre acceperat, hæredes reliquerit Joan. 20.
Sicut me miſit Pater, ita & ego mitto vos ... acci-
pite Spiritum S., quorum remiſeritis peccata, remit-

tuntur

tuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt, & Math. 18. *quæcunque alligaveritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlis, & quæcunque ſolveritis in terra, erunt ſoluta & in cœlis.* eosdem porrò honorari & audiri à plebe, non plebem juſſerit Luc. 10. *qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit.*

V. Denique cùm neutiquàm cadere poſſint ea in populum, quæ Chriſtus ſingulari privilegio nominatim Petro conceſſit: *tibi dabo claves regni cœlorum, quodcunque ligaveris ſuper terram &c. paſce oves meas, paſce agnos meos*; gubernationem Eccleſiæ, popularem ſtatuere, idem eſt dicere, hanc Eccleſiam, quæ jam in terris degit, non eſſe illam Eccleſiam, quæ à Chriſto, dùm viveret, conſtituta & gubernata fuit; enim verò cum Eccleſia ſit quædam Dei civitas & fidelium ſocietas, in omni autem civitate & ſocietate nihil ſit majus, ipsâ regiminis formâ, ſecundùm quam quælibet civitas in certo ſuo eſſe & ordine conſtituitur; profectò ſi forma regiminis, quod Chriſtus primùm in Eccleſia poſuit, ullo unquam tempore mutata eſt, jam illa non erit eadem civitas, quam Chriſtus inſtituit, ſed prorſus alia.

VI.

VI. Nec degeneres ſunt à Chriſto Apoſtoli, qui innumera egêre ſine plebe & plebis mandato; non vocata eſt plebs Epheſi, Galatiæ, & Antiochiæ ad Concilium, ſed illi nunciata ſunt decreta, ut iis obediret Act 15. *Paulus, tranſiens Syriam & Ciciliam, præcipiebat, ut cuſtodirent præcepta Apoſtolorum & Seniorum*; per Seniores autem intelligendi ſunt, vel ii, quos Apoſtoli Epiſcopos ordinaverant, vel ii, quos regendis novis chriſtianis præfecerant, quales erant Silas & Barſabas, qui dicuntur viri primarii in fratribus *Act. 15. v. 22.* Elegit idem Paulus Titum & Timotheum, miſítque eos ſine plebe, huic communicando poteſtatem ad Tit. 2. v. 15. *Ut argueret cum omni imperio, ut ea, quæ deeſſent, corrigeret, & per civitates presbyteros conſtitueret ad Tit. 1. v. 5.* Alteri verò commiſit: 1. ad Tim. 5. *Præcipe, ut irreprehenſibiles ſint ... adversùs Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus, aut tribus teſtibus.* Miſerunt Apoſtoli ſinè plebe Petrum & Joannem, & ſegregaverunt Paulum & Barnabam in opus miniſterii. Nimirùm ſicut Chriſtus miſſus eſt à Patre ſuo, ita miſit ipſe Apoſtolos, *qui pro eo legatione fungerentur.* 2. Cor. 5. & ità Apoſtolis in regimine & poteſtate omni, quæ

Ecclesiæ necessaria est, Episcopi successerunt; quemadmodùm igitur plebs & totus populus Christianus nihil potestatis in Christum habuit, ità nec in Apostolos, per consequens nec in Episcopos veluti Apostolorum successores; neque ullus textus in sacra scriptura proferri potest, qui populo vel ipsum regimen, vel jus, usum ejusdem regiminis pastoribus delegandi, adscribat.

VII. E converso Sacra Scriptura, sicut Apostolis, ita & Episcopis successoribus & quidem immediatè à Deo vel Spiritu S. regendi potestatem collatam, apertissimè contestatur *Act. 20. v. 28. Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit regere Ecclesiam Dei*; regere autem Ecclesiam Dei, quid est, nisi subditos populos verbi prædicatione docere, spirituali sacramentorum pabulo reficere, per salutares leges morum sanctitatem & disciplinam custodire, jus dicere, subnascentes de religione controversias divinâ auctoritate terminare ac definire, atque rebelles ac contumaces reprimere? quæ porrò Episcopis inest insita à Spiritu S. auctoritas, hæc populo imponit obsequendi legem ac necessitatem: *Obedite præpositis vestris, & subjacete eis*; ait S. Paulus Hebr. 13. *Ipsi enim pervigilant, quasi*

ratio-

rationem pro animabus vestris reddituri; & Christus ipse Lucæ 10. *qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.* Sanè omni rationi & ordini naturali refragaretur, si agni & oves pascerent, & regerent pastores suos, quæ se ipsas regere non possunt, sed Pastoribus indigent. Denique eadem Sacra Scriptura ecclesiasticam Hierarchiam duraturam usque ad finem sæculi delineans, non in consortium ejusdem plebem, multò minùs hujus mandatum sivè delegationem admittit *ad Eph. 4.* NB. *ipse* (Christus) *dedit quosdam Apostolos, quosdam Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores & Doctores, donec occurramus omnes in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Doctores? &c.* Innumeros utriusque testamenti titulos in medium proferre possumus, quibus sacerdoti potestas, obedientia populo præscribitur: appellantur ipsi pastores pascentes gregem, qui in ipsis est: præpositi rationem reddituri pro animabus populi: patres, qui in Christo plebem genuerunt: Doctores, ut non circumferamur omni vento doctrinæ; tandem nullus est auctoritatis titulus, quem scriptura non tri-

buat ſacerdotibus, nullus ſubjectionis, quem populo non aſſignet.

VIII. Scripturam ſequuntur prima Concilia, altera velut Evangelia, in quibus nedum præſedit plebs, verùm nec locum habuit, nedum præfinivit, ſed nec adfuit, neque per ſe ipſam, nec per legatos; enim verò ne unus quidem legitur unquàm ſubſcribens in Concilio: *Ego N. plebis locum tenens:* controverſiæ omnes deciſæ ſunt ab Epiſcopis, nunquam à populo, qui ne quidem in Conciliis nominatur. Legimus inſtituta ab Epiſcopis & Pontificibus judicia, appellationes ad Pontifices & Concilia innumeras, ne unam quidem ad populum. Nulla in ſacris Canonibus Plebiſcita norunt ſapientiſſimi, ſed ſolas leges Conciliorum & præſulum, quorum uſus fuit, populum compellere ad legum obſervantiam, non requirere aut exſpectare ejusdem dictaturam; imò decreta ipſi proponere, ùt dictata à Spiritu S., & ùt auctoritatem à Deo habentia, neutiquam eandem mutuantia à plebe juxtà illud Act. 15. *Viſum eſt Spiritui S. & nobis.* Innumeri demùm presbyteri & Epiſcopi à Romanis Pontificibus & Conciliis, ſed nulli à plebe excommunicati & depoſiti habentur. Omnium

ſæcu-

sæculorum experientiâ constat, nullum Democratiæ vestigium in Ecclesia unquam receptum esse.

IX. Apostoli certè constituerunt in Ecclesia presbyteros & Episcopos, ídque non ex mandato, aut delegatione populi, sed ad inspirationem Dei. Enim verò quantumvis Apostoli quandoque consensum Ecclesiæ interrogârint, ut scirent, quinam essent, quibus testimonium bonæ vitæ diceretur; tamen ille consensus non fecit, ut ii, de quibus interrogabant, mox Presbyteri aut Episcopi evaderent, sed quod longè maximum in ea causa erat, penes Apostolos aut alios Episcopos restabat, ut iis manus Presbyterii imponerent, & prætereà mitterent eos, qui jam consecrati essent, in opus ministerii. *1. Tim. 4.* Confirmatio, consecratio & missio sunt illa, quæ potissimùm pascendi & regendi dant auctoritatem. Nec hîc disputo de consensu populi in Episcoporum aut ministrorum electione; nam etsi non semper necessarius is erat, nec semper est adhibitus, ut in Pauli consecratione apparet, tamen demus, eum semper fuisse adhibitum, an hoc satis est, ut penes populum præcipuè regimen Ecclesiæ esse dicatur? qui jus regiminis in se habet, non modò

unam

unam particulam, ſed aut totam prorſus gubernationem, aut certò maximam ejus partem in ſua manu habeat, neceſſe eſt; ſed conſenſus populi, præterquâm quòd non ſemper ſit neceſſarius, etiam minima pars eſt eorum, quæ ad conſtituendum Eccleſiæ Paſtorem concurrunt; reſtat enim manûs impoſitio, uti dictum eſt, quam populus exercere non poteſt; reſtat miſſio illius, cui manus imponuntur in opus Domini, quæ etiam non fit à populo, ſed ab eo, qui manus imponit, aut eas imponi jubet; conſecratio autem & miſſio ſacerdotum, uti pariter dictum fuit, verè dat illis poteſtatem, quam habent; conſenſus verò populi nihil aliud dat, quâm ut is gratioſior ſit, & charior populo, quem populus ipſe expetivit, deſignavit & cooptavit; nam & populum Iſraëlis non dubito conſenſiſſe, ut Aaron in Pontificem conſecraretur; ſed non ille conſenſus, verùm conſecratio Moyſis & miſſio ad ſacrificandum fuit illud opus, quod Aaronem effecit ſacerdotem. Sanè ut authoritatem in Eccleſiam quis accipiat, tam eſſentialis & neceſſaria eſt miſſio, ut JESUS Chriſtus primos miniſtros ſuos *Apoſtolorum* id eſt miſſorum nomen geſtare voluerit juxta illud *Lucæ 6. v. 13.* ſcilicet ut tam

nota

nota fieret missio, quàm nomen eorum, omnésque noverint, non esse veram in Ecclesia missionem, nisi eam, quæ in eorum successoribus residet, quæ per hos communicatur, quæque per hos ad Apostolos & JESUM Christum usque successione non interruptâ revertitur.

X. Christus porrò non legitur, aut facto, aut verbo aliquo detulisse plebi necessariam Episcoporum electionem; nam primùm, uti supra ostensum est, Christus Apostolos ac 70. discipulos, dum in terris ageret, solus absque plebis cujusquam consensu elegit, atque ad prædicandum misit. Unde Cyprianus *lib. 3. epist. 9.* „ me„ minisse debent, inquit, diaconi, quoniam „ Apostolos, id est Episcopos & præpositos Do„ minus elegit.„ Post Domini verò ascensionem in cœlum Paulus Titum in Creta reliquit, ut per civitates constitueret presbyteros, nihil quicquam, vel de interposito plebis alicujus consensu ad Titum in Creta relinquendum, vel de interponendo ad faciendam ibidem presbyterorum constitutionem commemorans. Jam verò Mathias non priùs in Apostolum ab iis, qui aderant, eligi cœpit, quàm Divus Petrus Apostolus ejus rei auctor extitisset; ac tunc etiam non tam ab eis electus,

quàm unà cum Barnaba nominatus eſt, Deo interim per ſortem oſtendente, *quem ex duobus elegiſſet Act. 6.* Prætereà Apoſtoli ibidem permiſerunt multitudini diſcipulorum, ut *conſiderarent*, non quos ipſi, ſed quos *Apoſtoli conſtituerent ad miniſtrandum.*

XI. Conſideratio plebi permittitur, conſtitutio verò Apoſtolis reſervatur: illa proponit vota & deſideria, quæ, ſi juſta ſunt, Apoſtoli meritò implent, injuſta verò, cùm opus eſt, repellunt: ùt ùt verò *Act. 14.* affirmetur, presbyteros chriſtianorum ſuffragio electos eſſe, is locus aliter intelligi non poteſt, quàm quòd Paulus & Barnabas fidelibus populis presbyteros conſtituerint eos, qui teſtimonium honeſtæ vitæ ab eisdem populis accepiſſent; cum enim verò Apoſtoli non manerent in aliqua certa civitate, ſed omnia loca peragrarent, mirandum non eſt, ſi eorum vitam ignorarent, quibuscum educati non eſſent; oportuit ergò non quosvis, verùm eos, qui judicati fuiſſent à civibus ſuis idonei, ad publicum miniſterium cooptari. Ac ſanè recta ratio docet, ut, ſi hodie ob aliquam Eccleſiæ neceſſitatem cogeretur Epiſcopus creare presbyterum & diaconum, de cujus moribus &

inſti-

institutis aliunde doctus non esset, omninò plebis, quæ tunc adesset, testimonium deposceret, ne minùs idoneum ordinando, & nimiùm citò manus eidem imponendo, tam suo nomini conciliaret notam infamiæ, & alienis peccatis communicaret, quàm Ecclesiæ, cui consulere debebat, injuriam inferret. At verò quòd electio sic penderet à plebe, tanquàm Paulus aliquem aliunde sibi notum sinè plebis suffragio, aut planè sinè ejusdem mandato & delegatione creare non posset, hoc prorsùs à veritate abhorret, uti liquet ex jam dictis: unde consequitur, quòd, cùm Patres, maximè Cyprianus & Leo, populi consensum in electione Episcoporum adhiberi solitum, testentur, id factum sit ex decoro ferè semper, non autem ex necessitate juris divini, præterquàm si aliter vita ordinandi sciri non potuit. Nam nec hodie fas habetur, solemni ritu aut ordinari presbyterum, aut Episcopum consecrari, præterquàm in conspectu populi, cui suus etiam locus conceditur, ut siquid afferre potest, cur hic homo ad talem dignitatem assumi non debeat, id liberè & audacter proferat.

XII. Neque cum Christus jubet, peccatorem contumacem denunciari Ecclesiæ, judicium uni-

verſo fidelium cœtui detuliſſe, cenſeri poteſt; nam primùm inter eum, qui deliquit, & eum, in quem delinquitur, privatim agi, ut famæ delinquentis parcatur; mox autem ſi non emendetur, neque ex toto privatim, neque publicè, verùm mediâ quâdam ratione coram duobus, aut tribus teſtibus agendum eſt; quodſi delinquens neque ſic pœnitentiam agat, prorſus ad publicum judicium acceditur: ſed quodnam eſt hoc publicum judicium? ſanè non cœtus populi, ſed ea duntaxat Eccleſia, penes quam ſtatim Chriſtus ſubjunxit, eſſe poteſtatem ligandi atque ſolvendi, perſpicuè declarans, nomen Eccleſiæ ad Apoſtolos tum, qui ſoli poterant ligare, & ſolvere, & ad Apoſtolorum ſucceſſores Epiſcopos ſcilicet nunc ſpectare: unde Ignatius tam præclarus Apoſtolicorum temporum, ac eorum, quæ in primitiva Eccleſia gerebantur, teſtis affirmat in *epiſtola ad Smyrnenſes*: „ nihil in eccleſia Epi-
„ ſcopo majus eſſe„ & clarius ad propoſitum hæc verba Chriſti: *dic Eccleſiæ:* Chryſoſtomus *homil. 61.* in Matthæum hunc in modum interpretatur: *dic præſulibus & præſidentibus.*

XIII. Demùm cum regimen Eccleſiæ, uti jam ſæpiùs dictum eſt, ſit regimen ſuave & paſtorale,

& in exteriori maximè disciplina populi studia, & usus attendat, omniáque ita disponat, ut consensum & obedientiam potiùs obtineat, quàm extorqueat, amore potiùs alliciat, quàm timore impellat, legésque suas hominum conditionibus & circumstantiis, quatenùs optatum referant fructum, accomodet, nec nisi rationabile obsequium desideret; mirum non est, quòd sæpiùs ab Episcopis & pastoribus pleraque negotia præviâ à populo acceptâ informatione, ejusdémque ex consilio & assensu subin gesta & expedita fuerint. Quam ob rem scribit S. Cyprianus ad presbyteros & diaconos Lib. 3. epistol. 10. *A primordio episcopatûs statueram, nihil sine consilio vestro & sine consensu plebis meæ privatâ sententiâ gerere*; ex eo tamen neutiquam confundenda est ratio decori & consilii cum juris necessitate; neque ignorantia facti, ubi hæc cum populo communicationem exposcit, eidem consortium auctoritatis, & æqualitatem regiminis tribuit, neque humilitas vel charitas, ubi potestatem pastoris pro ædificatione Ecclesiæ premit, eandem evertit, & legitimum imperantium & parentium ordinem tollit, vel confundit in ejusdem Ecclesiæ destructionem.

XIV. Rem hanc pulchrè ulteriùs declarat Apoſtolus *Rom. 12.* ubi Eccleſiam cum humano corpore confert, ibi: *Sicut enim in uno corpore multa membra, omnia autem membra non eundem actum habent; ita multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra habentes donationes ſecundùm gratiam, quæ data eſt nobis, differentes: ſive prophetiam ſecundùm rationem fidei ſive miniſterium in miniſtrando, ſive qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando ... qui præeſt in ſolicitudine &c. nec omnes eundem actum habent.* Quemadmodùm ergò in humano corpore multa membra ſunt, quæ nullam omninò præſidentiam exercent, ſed quorum ordo & locus poſtulat, ut pareant, & obediant; ſic etiam in Eccleſiæ Corpore multi ſunt, qui non præſunt omninò, ſed tantùm obediunt, idque, quoniam in tali ordine & loco Eccleſiæ ſtatuuntur; hi verò ſunt ipſe populus, qui non regit Eccleſiam Dei ullâ ex parte, licet enim caput pedibus, & rector plebe ob officia neceſſaria indigeat, ut non ſit ſchiſma in corpore, ſed pro ſe invicem membra ſollicita ſint *1. Cor. 12.* tamen non poſſunt ejusmodi membra capitis honorem, ac in gubernando poteſtatem ſibi absque ejusdem capitis inju-

injuria vindicare. Aliud enim est, officium præstare, aliud præsidere. Officio pedum & auxilio caput etiam indiget, sed pedes non tantùm communi officio & auxilio capitis, verùm etiam moderatione ejus ac præsidentiâ opus habent, quod non est officium vulgare, sed eximium, & unius mentis proprium. Ratio igitur auxilii, non autem præsidentiæ per totum Ecclesiæ Corpus communis est. Diffusè de tota hac re discurrit Gregorius Nazianzenus in oratione de moderatione in disputationibus servanda: ubi in fine concludit: „ omnes enim corpus unum in Chri-„ sto sumus, singuli autem Christi, atque alii „ aliorum membra, alii enim *dominantur & præ-„ sunt, alii parent, & reguntur &c.*

XV. Exinde facilè intelligitur, quo sensu accipiendum sit illud S. Augustini in Psal. 44. *Ecclesia Episcopos constituit in sedibus Apostolorum*, quòd scilicet non communitas hoc faciat ex jure suo, atque ex sua institutione: verùm quòd id agat per præfectos suos, quibuscum unum corpus & unus Spiritus est *Eph. 4.* Sic enim credimus, totam Ecclesiam ex variis membris consistere, potiora verò ejus membra Episcopos esse & presbyteros, qui ab Apostolorum successoribus

bus

bus ordinati, alios iterùm ordinant, ut ita ſemper Principatus Eccleſiæ maneat apud digniora Eccleſiæ membra, & non penes totam fidelium multitudinem; quæ tamen, quia unum Corpus cum ſuis Paſtoribus efficit, atque in eodem Corpore omnia ſunt communia, rectè id totum facere dicitur, quod principaliora totius Eccleſiæ membra faciunt. Porrò quamvis aliquam veri partem habeat, ſi dicatur, Petrum & Apoſtolos & eorundem ſucceſſores poteſtatem accepiſſe & tenere, prout perſonam totius Corporis myſtici ſuſtinent; quòd tamen Eccleſia, tanquam radicalem habens poteſtatem, Apoſtolos & paſtores omnes conſtituerit, & conſtituat adhuc velut ſuos miniſtros, id prorſus ab omni veritate abhorret; non enim Eccleſia miſit Apoſtolos Chriſti, ſed Chriſtus fecit Apoſtolos Eccleſiæ procuratores & adminiſtros; itaque ſunt quidem paſtores omnes miniſtri totius Eccleſiæ, ſed non ab illa, verùm ab illius Domino conſtituti. Manet igitur firmum, Eccleſiam non eſſe illam, cui primùm Deus in ſe ipſa, & per quam Deus Apoſtolis communicavit ſpiritum & poteſtatem ſuam, ſed Eccleſiam eſſe illam, propter quam Deus Apoſtolis primùm poteſtatem dedit & Spiritum

S.

S. in ædificationem & animationem totius Corporis diffundendum.

ARTICULUS VII.

Discrimen adæquatum inter Ecclesiasticum & Civilem Magistratum deducitur.

SUMMARIA.

I. *Limites & insignes differentiæ utriusque potestatis Ecclesiasticæ & Civilis statuuntur.*

II. *Copiosius origo potestatis Ecclesiasticæ evolvitur.*

III. *Usus & officium earundem potestatum, quomodo olim observarentur, explicatur.*

IV. *Reges ipsi, tanquam oves, sunt subjecti pastoribus à Christo constitutis.*

V. *Nullum jus iidem Reges, causas fidei & religionis cognoscendi & decidendi, sibi arrogare possunt.*

VI. *Per trecentos annos administrata & gubernata fuit Ecclesia à solis pastoribus sinè Regibus.*

VII. *Postquam Principes christianorum sacris initiati sunt, idem jus regendæ Ecclesiæ ab Epi-*

ſcopis continuatum eſt firmatúmque, ut ex facto Conſtantini M. elucet.

VIII. *Idem ex eodem Conſtantino & Valentiniano ſeniore Imperatoribus oſtenditur.*

IX. *Item ex facto Theodoſii junioris & Marciani Imperatorum.*

X. *Item ex ſententia Baſilii Imperatoris & Theodorici Regis.*

XI. *Ex his elogiis, nec non ſequiorum temporum legibus & exemplis regimen & imperium circa ſacra, non Regibus, ſed Pontificibus & Epiſcopis competiiſſe, conſtat.*

XII. *Ex ratione & æquitate ultrà pateſcit, jurisdictionem in ſacra ad Reges & Principes ſæculares pertinere non poſſe.*

XIII. *Fideles teſtes, Traditionis regimen ſpirituale Eccleſiæ à politico diſtinguentis, adducuntur PP. antiqui, præſertim Orientis.*

XIV. *Eandem traditionem magni Occidentis Epiſcopi ſedulò docuêre.*

XV. *Inſignis Synagogam inter & Eccleſiam Chriſti circa regimen ejus pro coronide inſtituitur comparatio.*

I. OMnis equidem potestas à Deo est, tam potestas ecclesiastica, quàm civilis; utrique tamen potestati suos fines & limites jure divino præscriptos esse, ex dicendis fiet palam. Differunt autem hæ duæ potestates (de potestate regiminis & jurisdictionis hìc sermo est) non tam in primo principio, aut in ultimo fine (ubi rectè saltem exercetur) quàm in mediis quibusdam causis, officiis & finibus. Etsi enim ab uno principio, quod est Deus, tam civilis, quàm ecclesiastica potestas promanet: tamen civilis potestas per alia media & rursùs ecclesiastica per alia ad nos plerumque derivatur. Illud ergò inter omnes, prout opinor, constat, Principum, Regum, atque Imperatorum potestatem vel juris gentium vel juris civilis habendam esse, adeò, ut hæc potestas à Deo quidem sit, verùm non immediatè, sed potiùs per interpositum jus gentium, aut civile. At verò potestas ecclesiastica tota est à cœlo, nec per interjectum jus naturale, gentium, aut civile, sed tantùm per mediatorem Dei & hominum JESUM Christum ad nos dimanavit. Licèt igitur tam civilis, quàm ecclesiastica potestas à Deo sit: tamen civilis à Deo plerumque est per media quædam vel naturæ, vel

rationis humanæ interpoſita; ob eam cauſam civilis poteſtas apud gentes, quæ Deum non cognoſcunt, eadem reperitur, quæ apud fideles Reges & Principes exiſtit, licet Chriſtus talem in ſui Regni miniſtris eſſe noluerit, dicebat enim: *Principes Gentium dominantur eorum, non ita erit inter vos.* Principes ergò gentium eos vocat, qui ſecundùm morem & jus gentium imperabant. Poteſtas verò Eccleſiæ per nulla naturæ aut humani ingenii interjecta, ſed immediatè à Deo ipſo inſtituta fuit, *nec enim animalis homo percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei.* 1. Cor. 2.

II. Itaque Chriſtus, qui fatetur, Eccleſiam regnum ſuum eſſe (*nam regnabit in domo Jacob in æternum*) quíque ſe Regem eſſe nunquam negavit; negat tamen, regnum ſuum eſſe de hoc mundo, quia nimirùm de cœlo, ac non de hoc mundo profectum eſt. Unde conſtat, regnum ſeu ſpiritualem poteſtatem Eccleſiæ non eſſe de hoc mundo; cætera verò regna ſeu terrenas poteſtates de hoc mundo eſſe. Animadvertendum verò eſt, permultùm intereſſe, utrùm dicas: Regnum Chriſti non eſt in hoc mundo (nam hoc falsò diceretur) an verò: Regnum Chriſti non eſt de hoc, vel ex hoc mundo, quod

utique

utique veriſſimè dicitur. Hìc enim eſt, ſed hinc non eſt: in mundo eſt, de mundo, aut ex mundo non eſt. Regnum verò terrenum & hîc & hinc eſt, tam ex hoc mundo productum per jus gentium & humanam conſenſionem, quàm in hoc mundo finitum & concluſum. Cùm itaque poteſtas ſpiritualis & eccleſiaſtica ex ſola Chriſti voluntate profluat; imò cùm nulla ſit comparatio inter Chriſtum Dei filium, qui Deus ipſe eſt, & creaturam juris naturalis, aut gentium, aut civilis, nulla eſt etiam comparatio inter poteſtatem eccleſiaſticam, quæ tota ſolùm eſt per Chriſtum mediatorem nobis collata, & poteſtatem regiam, quæ vel tota, vel penè tota non niſi per jus gentium, aut civile à Deo conſtituta eſt. Nam etiamſi Deus revelaverit aliquid de cœlo, quod ad poteſtatem regiam pertinuit: ſi tamen id non pertinuit ad æternam ſalutem, quæ in Chriſto abſcondita eſt, verùm ad pacem inter homines conſervandam: id utique non aliter putandum eſt, revelatum fuiſſe, quàm ut eſſet declaratio quædam authentica & ſubſidiaria juris ejus, quod vel natura nobis inſeverat, vel neceſſitas exprimere, utilitásve ſecundùm naturæ ſemina in lucem producere debuerat; Atque hæc de origine utriusque poteſtatis dicta ſint.

III. Quoad uſum verò & officium earundem rerum, ſcimus eam diſtinctionem in illis obſervatam eſſe, ut, qui eccleſiaſticam habuiſſet, etiam civilem in gubernando populo Dei habere poſſet, & quandoque habuerit; ſicut in Noë, Melchiſedech, in Abrahamo, in Moyſe, in Heli, atque in Samuele, ac Machabæis evenit; cæterùm non eodem modo verum erat, quòd, qui ex jure gentium, aut civili Rex aut Princeps fuiſſet, mox etiam poteſtatem eccleſiaſticam haberet, niſi per ſpecialem conſecrationem id ſibi juris collatum eſſet. Hinc cùm Ozias Rex adolere vellet incenſum ſuper altare thymiamatis, ſtatim ingreſſus poſt eum Azarias ſacerdos, & cum eo ſacerdotes domini reſtiterunt Regi, atque dixerunt: *non eſt tui officii Ozia, ut adoleas incenſum Domino, ſed ſacerdotum hoc eſt filiorum Aaron, qui conſecrati ſunt ad ejusmodi miniſterium?* Paralip. 26. Idémque Joſaphat Rex Juda, utramque poteſtatem diſtinguens, dicebat ad levitas & ſacerdotes 2. Paralip. 19. *Amarias ſacerdos & Pontifex veſter in his, quæ ad Deum pertinent, præſidebit. Porrò Zabadias Iſmael, qui eſt dux in domo Juda, ſuper ea opera erit, quæ ad Regis officium pertinent.* Ecce alia pertinent ad Pontificis, alia

verò

verò ad Regis officium; Regna videlicet non ſunt ex fide, non ex Evangelii gratia, ſed ex ratione, naturâ & jure gentium; neque poteſtas politica fluit ex eccleſiaſtica, nec viciſſim; neque ex religionis Regum vel Principum ſtatu ſubditi ſuam metiri debent obedientiam, dicente Apoſtolo Petro 1. cap. 2. v. 13. *Subjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum: ſive Regi quaſi præcellenti, ſive ducibus, tanquàm ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.* De fine autem utriusque poteſtatis, hoc tantùm notaverim, quòd poteſtas civilis nonniſi hanc vitam attingat, dicente Chriſto Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere*; & iterùm Apoſtolo jubente nos *orare pro regibus, & iis, qui in ſublimitate ſunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus.* Vita igitur quieta eſt finis hujus; poteſtas verò eccleſiaſtica pertingit etiam usque ad futuram & æternam vitam, dicente Chriſto Matth. 18. *quæcunque ligaveritis & ſolveritis in terra, ligata erunt, & ſoluta in cœlis.*

IV. De iis videlicet, quæ Dei ſunt, homines aliter diſponere non poſſunt, quàm ſi Deus illis talem authoritatem concedat; cauſæ autem & res

res fidei ac religionis maximè omnium Dei ſunt, diſponi ergò, decerni, & judicari de iis ab aliis non poteſt, quàm quibus eam poteſtatem Deus conceſſit. Deus verò talem poteſtatem certis duntaxat hominibus, & non paſſim toti populo chriſtiano conceſſit. Nam Deus alios conſtituit Apoſtolos, alios Prophetas, alios Evangeliſtas, alios Paſtores & Doctores in ædificationem myſtici corporis ſui, quod eſt Eccleſia: alios verò conſtituit, velut oves & agnos, qui per paſtores & doctores ſuos ædificarentur, & quibus Paſtores attenderent, ne circumferrentur omni vento doctrinæ per aſtutiam hominum. Paſtores verò ſoli judicant, ſoli decernunt, quid ovibus idoneum ſit, aut non ſit; nam oves æquali cum paſtoribus poteſtate donatas contendere, hoc nihil aliud eſt, quàm diſcrimen, quod Chriſtus inter Paſtores & oves poſuit, tollere, ac quæ ille diſtinxit, commiſcere ac confundere. Reges igitur ac Magiſtratus, ſi tanquàm oves in Chriſti grege habentur, ſicut verè ſunt oves, unà cum paſtoribus non judicant, non decretoriè circa ſpiritualia diſponunt. Sin haberi velint ùt Paſtores, quæro, unde probent, Chriſtum eis talem contuliſſe poteſtatem? quid enim habent,

quod

quod non acceperunt? Chriſtus verò, ut antiquam Regum poteſtatem jure gentium conceſſam non ſuſtulit, aut imminuit; ſic neque eis novam, & ſpiritualem, oves ſuas paſcendi, poteſtatem annexuit.

V. Porrò antiqua Regum poteſtas, etſi à Deo ſit, tamen ab illo eſt per modum juris gentium ac civilis, & non per ſpecialem aliquam & præcipuam Evangelii conſtitutionem, ſicut antea declaratum eſt. Si ergò Reges & politici Magiſtratus ullam habent poteſtatem in cauſis fidei & negotiis religionis; aut illam à jure Naturali, Gentium & Civili, aut à jure divino, quod Eccleſiæ revelatum eſt, acceperunt? Atqui (ut à poſteriori membro priùs incipiam) à jure divino, quod Eccleſiæ revelatum eſt, nihil tale Regibus conceditur: nihil quippè aliud in novo teſtamento de Principum poteſtate revelatum eſt, quàm ut dentur Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, ut tributa ſolvantur, ut pro Regibus oretur, ut tam Regi, quàm omnibus ab eo miſſis obtemperetur, ac denique ut omnis poteſtas à Deo promanare, & quilibet Magiſtratus non fruſtrà gladium portare, ſed in ea re miniſter Dei eſſe cognoſcatur. Nihil ergò horum, quod Reges nominatim ju-

beat de Christi Ecclesia disponere, vel in causis fidei, & rebus religionis quidquam sibi jurisdictionis arrogare, ibidem reperire est. Nisi itaque jure Naturali, Gentium, aut Civili talis potestas Regi permittatur; clarum est, nullam eum omninò potestatem in eas res habere. Certum verò est, ea jura non posse Regi tribuere ullam potestatem in eas res, quæ iisdem juribus non sunt subjectæ; nullum enim jus de aliis, aut rebus, aut personis, aut actionibus constituere aliquid potest, quàm quæ sub ipsius ambitum cadunt; res autem ecclesiasticas, sivè fidei & religionis, velut alterius & longè superioris ordinis, nimirum supernaturalis, omninò excedere sphæram & potestatem juris Naturalis, Gentium & Civilis, apertè dignoscitur.

VI. Cùm ergò potestas tam cœlestis & præclara non possit ex corruptæ naturæ nostræ principiis oriri, sequitur, quòd tantùm à gratuita Dei misericordia proficiscatur; illa verò misericordia sub tempore novi testamenti, partim scripto, partim non scripto jure manifestata est; neutro tamen modo Regibus ulla jurisdictionis potestas in rebus, causísque ecclesiasticis conceditur. Neque verò aut ulli Reges christiani erant ab initio, qui-

quibus ullam poteſtatem Chriſtus commiſerit; imò per annos propemodùm trecentos fuit administrata Eccleſia, & quidem quàm feliciter, docent inſignia incrementa, quæ inter tot, tantásque difficultates fecit. Attamen penes Imperatores, penes Reges, penes Principes, penes civilem Magiſtratum poteſtas hæc eſſe non potuit, quia, quicunque ferè illis temporibus respublicas geſſerunt, pagani, & conjuratiſſimi chriſtianorum hoſtes fuerunt. Sanè actum eſt de tota quæſtione, ſi prima tria ſæcula conſulamus; ubi regimen externum Eccleſiæ totum erat Paſtorum, non Regum; ubi innumera, non localia ſolùm Concilia, ſed & Nationalia in cauſa baptiſmi, paſchatis, Montani, coegêre Præſules, non Reges; ubi diſpenſationes homicidis & mœchis conceſsêre Pontifices, non Reges; ubi excommunicati ſunt hæretici à Præſulibus, non à Principibus; ubi electi ſunt, ubi depoſiti ſunt Epiſcopi cum Paulo Samoſateno, & aliis à Paſtoribus, non à Regibus; ubi, uno verbo, externum regimen totum erat Pontificum, non Regum.

VII. Neque poſtquàm animum ad chriſtianam religionem adjecerunt Principes, Chriſtíque

legem complexi ſunt, priſtinum jus Epiſcopis abrogatum eſt; poſteriores namque ſub Conſtantino Epiſcopi ſucceſſerunt in vicem & eadem jura Apoſtolorum, ſacra dirigebant eâ dignitate ac poteſtate, quæ à Chriſto & ab Apoſtolis in ipſos, ùt Chriſti Vicarios & Apoſtolorum ſucceſſores, propagata erat; an verò Epiſcopi à tempore Conſtantini deſiêre Apoſtolorum ſucceſſores eſſe, & regni cœlorum claves adminiſtrare? an ſaltem tot annorum, tot ſæculorum præſcriptio ſive poſſeſſio contemni poteſt? an chriſtianis Principibus competit, poteſtatem, jura & libertatem Eccleſiæ arctiùs premere, & anguſtare, quàm ab ethnicis Principibus factum eſſet? aut an planè traducem poteſtatis hujus Apoſtolicæ in Epiſcopis abrupêre, aut abrumpere potuêre Conſtantinus ejusdémque ſucceſſores Imperatores chriſtiani? Imò verò verè tales & orthodoxi Sacerdotum & Epiſcoporum reveriti potiùs ſunt authoritatem, eorum vocem audiverunt, ſententias ſecuti ſunt, ſacras leges receperunt, quin & pœnis ſpiritualibus, & pœnitentiis à Paſtoribus impoſitis ſeſe ſubmiſerunt. Conſtantinus M. chriſtianorum Imperatorum princeps, teſte Euſebio *Lib. 3.* de vita Conſtantini *cap. 10.* in

Con-

Concilio Nicæno non priùs assedit, quàm Episcopi, ut sederet, annuissent; quo signo satis indicavit, se Concilio non præesse; dein finito Concilio scripsit epistolam ad Alexandrinam Ecclesiam apud Socratem *lib. 1. cap. 9.* „Nam quod „ (ait) trecentis placuit Episcopis, nihil aliud „ existimandum est, quàm Dei sententia, præ„ sertim cùm in tantorum virorum mentibus in„ sidens Spiritus Sanctus divinam voluntatem „ aperuit: „ & in *alia epist. cit. lib.* in cujus fine sic ait: „ quæ cùm ita sint, cœlestem gratiam & „ planè divinum mandatum libenter suscipite; „ quidquid enim in sanctis Episcoporum Conci„ liis geritur, id omne ad divinam referendum „ est voluntatem. „ Unde pulchrè B. Ambrosius *lib. epist. 32.* „ Si conferendum est, inquit, „ de fide, sacerdotum debet ista esse collatio: si„ cut factum est sub Constantino augustæ me„ moriæ Principe, qui leges nullas antè præmi„ sit, sed liberum dedit judicium sacerdotibus.

VIII. Judicium porrò de Episcopis instituere idem Constantinus exhorruit, teste Ruffino *lib. 1. Hist. cap. 2. ibi:* „ Vos à Deo nobis dati „ estis Dii, & conveniens non est, ut homo ju„ dicet Deos, sed ille solus, de quo scriptum est,

„ Deus ſtetit in ſynagoga Deorum, in medio „ autem Deos dijudicat; „ ad quod elogium provocat Gregorius Magnus, nolens Mauritii Imperatoris auſibus deferre; ita enim *can. 41. cauſ. 10. quæſt. 2.* ait: „ cum piæ memoriæ Con- „ ſtantino Principi ſcripto oblatæ accuſationes „ contra Epiſcopos fuiſſent, libellos quidem ac- „ cuſationis accepit, & eosdem, qui accuſati „ fuerunt, Epiſcopos convocans, in eorum con- „ ſpectu libellos, quos acceperat, incendit, di- „ cens, *vos Dii eſtis, à verò Deo conſtituti, quia* „ *dignum non eſt, ut judicemus Deos.* „ Egregiam porrò & ſe dignam ſententiam protulit Valentinianus ſenior, uti refert Sozomenus *lib. 6. cap. 7.* quando Epiſcopis perentibus, ut ſibi de doctrina fidei rectè conſtituenda in unum convenire permitteretur, reſpondit „ ſibi, qui unus è nu- „ mero laicorum eſſet, non licere, ſe ejusmo- „ di negotiis interponere, & ideò, inquit, ſa- „ cerdotes & Epiſcopi, quibus hæc curæ ſunt, „ pro ſe, ubicunque ipſis libitum fuerit, in unum „ conveniant.

IX. Theodoſius junior, quæ ſuarum partium ſint, decernit in epiſtola ad Synodum Epheſinam *Tom. III. Concil. pag. 441.* „ Igitur, inquit, „ Can-

„ Candidianum præclariſſimum ſacrorum do-
„ meſticorum comitem ad ſacram veſtram Sy-
„ nodum abire juſſimus, ſed eâ lege & conditio-
„ ne, ut cùm quæſtionibus & controverſiis, quæ
„ circà fidei dogmata incidunt, nihil quicquam
„ commune habeat: nefas eſt enim, qui ſan-
„ ctiſſimorum Epiſcoporum catalogo adſcriptus
„ non eſt, illum eccleſiaſticis negotiis & con-
„ ſultationibus ſeſe immiſcere:„ & idem in *epiſt.* ad Cyrillum: „ etenim religionem jam inde à
„ primis usque temporibus, non imperantis cu-
„ juspiam, aut certè imperium uſurpantis inter-
„ minationes vel proterviæ, ſed ſanctorum Pa-
„ trum, ſacrarúmque Synodorum decreta nobis
„ conſtituerunt. „ Nec aliud ſenſit Imperator Marcianus in Chalcedonenſi Synodo *Actione VI.* Synod. quando, quæ fidei erant, judicavit, definienda eſſe per Patres Synodi, non ſuis legibus conſtitui: ibi: „ non ad fidem confirman-
„ dam, non ad aliquam potentiam oſtendendam
„ exemplo religioſiſſimi Principis Conſtantini
„ Synodo intereſſe volumus. „ Et *leg. nem.* de ſumma Trinit. & fid. Cathol. „ injuriam, inquit,
„ facit judicio Reverendiſſimæ Synodi, qui ſe-
„ mel judicata revolvere & diſputare conten-
„ dat.„

„ dat. „ Denique ut alios miſſos faciamus, cognovit idem Baſilius, qui in graviſſima illa, quam in octava Synodo orationem habuit, ſic inquit: „ De vobis autem laicis, tam qui in dignitati- „ bus, quàm qui abſolutè converſamini, quid „ ampliùs dicam, non habeo, quàm quia nullo „ modo vobis licet, de eccleſiaſticis cauſis ſer- „ monem movere; neque penitùs reſiſtere in- „ tegritati Eccleſiæ, & univerſali Synodo adver- „ ſari. Hæc eadem inveſtigare, & quærere, Pa- „ triarcharum, Pontificum & ſacerdotum eſt, „ qui regiminis officium ſortiti, qui ſanctifican- „ di, qui ſolvendi, & ligandi poteſtatem habent, „ qui eccleſiaſticas & cœleſtes adepti ſunt cla- „ ves, non noſtrûm, qui paſci debemus, qui ſan- „ ctificari, qui ligari, qui à ligamento ſolvi ege- „ mus. Quantæcunque enim religionis & ſa- „ pientiæ laicus exiſtat, vel ſi etiam universâ „ virtute interiùs polleat, *ovis vocari non deſi-* „ *net*. „ In quarta Synodo, quæ ſub Papa Symmacho habita eſt, ne Theodoricus quidem, licet Arianus eſſet, ſibi judicium in Epiſcopos arrogavit, ſed poſtquâm à plurimis Epiſcopis audiiſſet, Papam Symmachum ob prærogativam ſuæ ſedis non poſſe compelli, ut minorum judicio ſe

ſub-

ſubmitteret, reſpondit, *in ſynodali eſſe arbitrio, in tanto negotio ſequenda præſcribere, nec aliquid ad ſe præter reverentiam de eccleſiaſticis negotiis pertinere.*

XI. Atque ex his Imperatoriis & Regiis elogiis patet, cauſas fidei & religionis non ad Principes laicos, ſed eccleſiaſticos Rectores deferri debere; illorum ſententiam audiendam, definitionique ſtandum eſſe. Quod verò attinet poſteriora tempora, à chriſtianis & orthodoxis Imperatoribus, Regibus & Principibus verum Eccleſiæ regimen circa ſpiritualia, & competentia ſacræ jurisdictionis bonúmque jus in ſubſtantia & legitimum exercitum ſpiritualis imperii Pontificibus & Epiſcopis nunquam extitit controverſum, imò verò paſſim agnitum; atque cum hujus rei luculentiſſima teſtimonia & exempla ex legibus, tam civilibus & publicis, quàm ſacris & canonibus, ex hiſtoriis profanis & eccleſiaſticis ſuppetant, proſtentque obvia, ſuperfluum eſt, prolixioribus allegationibus immorari.

XII. Jus hocce ratio porrò & æquitas confirmat. Conſtituamus ita eſſe, ut in ſumma rerum ſacrarum, & in fidei dogmatis judicium & arbitrium ſit penes Principem aut magiſtratum politicum: quâ ratione, amabo, ſi res quædam

in controverſiam veniat, decidetur? num unus aliquis magiſtratus, qui in una v. g. civitate, aut provincia jus dicit, cauſam definiet? vel an opus eſt, ut omnium, qui Chriſti fidem ubivis gentium profitentur, conſenſus accedat? profectò neutrum poteſt dici. Primò illud hactenùs nullus aſſeruit: ſi enim eſt aliquis Princeps talis, aut magiſtratus, quis nominari poteſt? ubi gentium ſedem habet? quid aliquando in fidei negotio definivit? quis ab eo in dogmate controverſo ſententiam petiit? fidei negotium omnium commune eſt, nec aliud poteſt Italia, aliud Germania, aliud Gallia, & aliud Oriens, aliud Occidens profiteri. Quemadmodùm *unum baptiſma, unus Deus, ita una fides.* Quis verò credat, fieri poſſe, ut, ſi ſinguli Reges, Principes & magiſtratus ſuis Regnis, provinciis atque urbibus in fidei cauſa judicium ferant, omnes & ſinguli à ſe invicem independentes & diviſi omninò conſentiant, idémque doceant, conſtituántque? Et quis demùm eorum vota colliget, aut ad ſacra comitia coget? An Imperator? quid enim, ſi nullus Imperator aliquando extiterit? quid, ſi ab Eccleſia deficiat? quid, ſi in plures ſcindatur Imperium? quid, ſi Reges undique irruentes Imperium dilanient,

&

& in ſuo quovis tractu imperitent? quid, ſi quæ Imperii portio lacera, non Regii, ſed ſequioris ac decoloris alicujus regiminis ſortem experiri malit? quid, ſi hæc omnia? Nam & hæc omnia poſt Conſtantinum labentibus ſæculis contigêre in variis Imperii Romani tractibus. Ergò ſi horum quodlibet, ſi plura, ſi omnia eveniant, non congregari à ſæculari Principe Concilium, nec vota aliorum requiri poterunt. An igitur Eccleſia interim de ſumma rerum periclitabitur? minimè verò; non tam malè conſuluit Chriſtus Eccleſiæ ſuæ, ut ſummam ſacrarum rerum, unitatem ejusdem & Religionis æternitatem ad tam lubricum, procelloſum, & labile Imperii terreni ſceptrum religaverit.

XIII. Teſtes porrò graviſſimi & irrefragabiles, fidíque traditionis hujusce, quæ regimen ſpirituale Eccleſiæ à politico prorſus diſcriminat, usque ab ævo priorum chriſtianorum Imperatorum cuſtodes exiſtunt antiqui & coævi Patres, tum Orientis, tum Occidentis; ſic enim, qui primi chriſtiani Imperatoris temporibus vixit, magnus Oſius Epiſcopus Cordubenſis, ſymboli Nicæni dictator, à magno Athanaſio laudatus: *hæc Abrahamicus ille ſenex*, filiũ Conſtantini

Conſtantium ab Arianis ſeductum, & eorum perſuaſione negotiis eccleſiaſticis ſe immiſcentem graviter monet in *epiſt.* Athan. *ad ſolitariam vitam agentes* „ ne te miſceas Eccleſiaſticis, nec „ nobis Epiſcopis Imperator in hoc genere re- „ rum eccleſiaſticarum præcipe, ſed ea potiùs „ à nobis diſce; Deus tibi Imperium commiſit, „ nobis, quæ ſunt Eccleſiæ „ & mox: *date, ſcriptum eſt, Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, & quæ ſunt Dei, Deo.* Eundem Imperatorem clariſſimi Epiſcopi Paulinus Trevirenſis, Lucifer Metropolitanus Sardiniæ, Dionyſius Mediolanenſis, aliíque ſeriò monuerunt, „ ne Eccleſiaſtica corrumperet, né- „ ve Romanorum Imperium Eccleſiaſticis Con- „ ſtitutionibus immiſceret, ne Epiſcopis domi- „ naretur.„ Quorum judicium Magnus Athanaſius comprobans in eadem *epiſt.* addit: „ nihil co- „ gitari poſſe in re chriſtiana monſtroſius, quàm „ Regem Eccleſiaſticas controverſias velle judi- „ cio ſuo definire. Quod quoniam Conſtantius „ ille Arianus tentaret & præſidere vellet ju- „ diciis Eccleſiaſticis, ſéque in decernendo Prin- „ cipem facere Epiſcoporum; quis (inquit „ Athan.) non dicat, illum eam ipſam eſſe abo- „ minationem deſolationis, quæ à Daniele præ-

„ dicta

„ dicta est? nam in hoc, quod Anti-Christi est,
„ facit, & quid Anti-Christus, cùm venerit,
„ plus committere poterit?„ Gregorius quoque Nazianzenus *orat. 17.* pro concione Imperatorem Theodosium graviſſimè affatur: „te quoque,
„ ô Imperator, imperio meo ac throno lex Chri-
„ sti subjicit. Imperium enim nos quoque Epi-
„ scopi gerimus, addo etiam, præstantius & per-
„ fectius: nisi verò æquum est, spiritum carni
„ fasces submittere, & cœlestia terrenis cedere?
„ Sed non dubito, quin hanc dicendi libertatem in optimam partem accepturus sis, utpo-
„ te, *sacri mei gregis ovis sacra, magnique pasto-*
„ *ris Alumna*, rectéque jam olim à spiritu docta,
„ & instituta.„ Et D. Chrysost. *Tom. 1. de verb.* Isaiæ *Hom. 4.* Matth. *16.* „ Mane intrà terminos
„ tuos, ô Rex, alii sunt termini Regni, alii Sacerdotii, hoc regnum illo majus est, Rex ea, quæ
„ sunt in terris, sortitus est administranda: cœterùm jus sacerdotii è supernis descendit: Re-
„ gi corpora commissa sunt: Sacerdoti animæ,
„ major hic principatus, propterea Rex caput
„ submittit manui sacerdotis, & ubique in ve-
„ teri scriptura sacerdotes inungebant Re-
„ gem.

XIV. Quemadmodùm autem iſti in Oriente, ſic quoque Epiſcopi in Occidente hanc diſtinctionem Pontificiæ & Imperatoriæ poteſtatis ſedulò tradiderunt: ſic nimirum Martinus trium mortuorum ſuſcitator coram Maximo exclamat, prout refert Severus Sulpitius *ſacræ hiſtor. lib. 2.* „ Novum eſſe & inauditum nefas, ut cauſam Ec- „ cleſiæ judex ſæcularis judicet. „ Nec minùs D. Ambroſius cordatè ſcripſit in *epiſt. 21.* aliàs *32.* ad Imperatorem Valentinianum juniorem, qui ab Arianis depravatus, de rebus fidei judicare attentabat: „ Certè, inquit, ſi vel ſcripturarum „ ſeriem divinarum, vel vetera tempora retra- „ ctemus, quis eſt, qui abnuat, in cauſa fidei, „ in cauſa, inquam, fidei Epiſcopos ſolere de Im- „ peratoribus chriſtianis, non Imperatores de „ Epiſcopis judicare? eris, Deo favente, etiam „ ſenectutis maturitate provectior, & tum de „ hoc cenſebis, qualis Epiſcopus ſit, qui laicis „ jus ſacerdotale ſubſternit. Pater tuus vir ma- „ turioris ævi dicebat: non eſt meum judicare „ inter Epiſcopos: tua nunc dicit Clementia: „ ego debeo judicare &c. „ Idem in *epiſt. ad ſor.* „ noli te gravare, inquit, Imperator, ut pu- „ tes, te in ea, quæ divina ſunt, Imperiale aliquod

„ jus habere, ſed ſi vis diutiùs imperare, eſto
„ Deo ſubjectus, ſcriptum eſt, quæ Dei, Deo;
„ quæ Cæſaris, Cæſari. Ad Imperatorem pala-
„ tia pertinent, ad ſacerdotem Eccleſiæ. Publi-
„ corum tibi mœnium jus commiſſum eſt, non
„ ſacrorum &c. „ Quibus limitibus contineri poteſtatem Imperatoriam, Imperatoribus ipſis maximè eſt glorioſum, uti ſanctiſſimus Epiſcopus, eodem loco inſigniter admonuit: „ Quid
„ eſt enim honorificentius (inquit ille) quàm ut
„ Imperator dicatur *filius Eccleſiæ?* Imperator
„ enim bonus intra Eccleſiam, *non ſupra Eccle-*
„ *ſiam* eſt. „ D. quoque Hilarius Pictavienſis Epiſcopus invictum Eccleſiæ contra Arianos columen, ut in reliquis fidei capitibus cum his ſuis Epiſcopis convenit, ita nec in hoc de Regiæ jurisdictionis finibus quidquam diſſenſit. Sic enim ille cum Oſio, Athanaſio, Paulino & reliquis Conſtantium Imperatorem alloquitur in *lib.* ad Conſtant. ibi: „ Provideat, & decernat Clemen-
„ tia tua, ut omnes ubique judices, quibus pro-
„ vinciarum adminiſtrationes creditæ ſunt, ad
„ quos ſola cura & ſollicitudo publicorum ne-
„ gotiorum pertinere debet, à religioſis ſe ne-
„ gotiis abſtineant. „ Denique in ſanctis Baſilio,

lio, Hieronymo, Lucifero, Auguſtino nihil frequentius occurrit, quàm Regibus palatia, Epiſcopis Eccleſias; illis corpora, his animas; illis externa reipublicæ civilis: his interiora reipublicæ & Eccleſiæ divinæ; illis pacem & regimen politicum, his diſciplinam, & regimen ſpirituale eſſe Chriſti præſcriptione mandatum.

„ Duo quippè ſunt (ut concludamus ex Gelaſio „ *epiſt.* ad Anaſtaſium) quibus principaliter mun„ dus hic regitur, auctoritas ſacra Pontificum „ & Regalis poteſtas, in quibus tantò gravior eſt „ ſacerdotum, quantò etiam pro ipſis Regibus „ Domino in divino reddituri ſunt examine ra„ tionem; nôſti enim fili clementiſſime, quòd, „ licèt præſideas humano generi dignitate, re„ rum tamen præſulibus divinarum devotus col„ la ſubmittas &c.

XV. Ita nimirùm admirandâ Dei providentiâ factum eſt, ut, quemadmodùm in veteri teſtamento poſt ſacerdotium ordinatum, legésque & cæremonias & ſacrificia deſcripta, quibus ſynagoga conſtabat, multa ſæcula interjecta ſunt, priusquàm Regium nomen apud Judæos auditum eſt, quo tempore toto nihil ad ſui perfectionem deſideravit ſynagoga: & poſt, deletis

Regi-

Regibus, ſynagogæ ſtatus imminutus, aut immutatus non eſt, ſed antiquam ſuam formam retinuit; donec adventante Meſſiâ ejus item exitus à Deo præſtitutus advenerat : non ſecùs, imò magìs in novo teſtamento Eccleſia Chriſti perfecta, ſuísque omnibus numeris abſoluta, pleraſque omnes cogniti orbis provincias complexa eſt, & tanquam fructuoſa arbor, altis defixa radicibus, à parvis initiis exorſa, ampliſſimè dilatavit ramos ſuos trecentis annis, priusquàm Imperator, aut Rex aliquis publicè in ejus communionem ſeſe adſcripſit, non obſtante, quòd Imperatores & Reges omnes regnorum & imperiorum ſuorum nervos intenderent, ut, quibuscunque poſſent artibus & viribus, arborem hanc ſtirpitus exſcinderent. Cum autem, Imperio chriſtiano deinceps effecto, antiquiores Epiſcopi armatis legionibus inſtructi non eſſent ad profanos Principes violenter opprimendos, imò verò illi inermes forent, & ideo non paucorum horum injuriis velut ſignum appetiti, chriſtiani nihilominus Principes, ingenio tam diverſi per tot annorum ſeriem Epiſcopis poteſtatem circa ſacra tam amplam permiſerint, neutiquam permiſſuri, niſi planè intellexiſſent, eandem ipſis à Chriſto fuiſſe impertitam, & certè ad populos rectè gubernandos

conducibilem, neque propterea, quòd Imperium in varias partes divideretur, nec propter quamcunque ejusdem Imperii mutationem mutata est substantialis ecclesiastici regiminis forma, sed semper eodem tenore progressa est Ecclesia, ut Pontifices & Episcopi in sacris præessent, alii, quocunque nomine appellati, subessent, illi essent Pastores, hi oves. Ex quo item est evidens, perpetuam & immobilem Ecclesiæ regiminis formam Imperatorum baptismo nihil variatam; ideóque necesse fuit, dum Imperatores, Reges, & Principes veritatis christianæ constantiâ convicti in Ecclesiæ corpus per baptismi Sacramentum inserebantur, eosdem, cum ex ea ad Ecclesiam adjunctione Pastores & Episcopi effecti non sint, in ovium, filiorum & subditorum Ecclesiæ numerum esse susceptos: id quod etiam Isaias *cap. 60.* clarè prophetizat; cùm ait: *Reges ministrabunt tibi* (Ecclesiæ) *venient ad te curvi filiorum* (Imperatorum & Regum) *qui priùs* (persequendo) *humiliaverunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum* & ulteriùs de eadem Ecclesia prædixit Isaias *cap. 60.* ibi: „ ædificabunt filii peregrinorum muros tuos & reges eorum ministrabunt tibi: „ aperientur portæ tuæ jugiter, ut afferatur ad

„ te

» te fortitudo gentium & reges earum adducan-
» tur, *gens enim & regnum, quod non ſervierit*
» *tibi, peribit.*

ARTICULUS VIII.

In jure protectionis & advocatiæ officium & poteſtas Principum ſæcularium circa ſacra concluditur.

SUMMARIA.

I. *Chriſtus in mundum veniens voluntatem hominum ad majorem perfectionem adduxit.*

II. *Religio chriſtiana officium & obedientiam ſubditorum erga Reges & Principes ad perfectum adduxit.*

III. *Chriſtus itidem officia hominis erga Deum perfecit.*

IV. *Idem Reipublicæ ſuæ, id eſt Eccleſiæ certos dedit moderatores, intrinſeca ejus curantes, videlicet Epiſcopos: alios verò, id eſt Principes gladium ſuum politicum ad extrinſecam Eccleſiæ pacem & tuendam religionem dirigentes.*

V. *Hoc ſenſu Regum & Principum poteſtas, quaſi Eccleſiaſtica poteſt appellari.*

VI. *In hoc consistit singulare beneficium Regibus ad Christum conversis collatum, ac exprimitur eorum officium in protegendo Ecclesiam, ejúsque leges.*

VII. *Cujus regula & insimul lex suprema est salus animarum & vera Christi religio: id quod docet moduis inaugurationis Regiæ;*

VIII. *Item acclamatio Imperatoribus in Conciliis facta.*

IX. *Uberiùs adhuc officium Principum christianorum explanatur ex vinculo juramentorum.*

X. *Ratio horum juramentorum à Majoribus nostris introductorum affertur, ut nimirùm Principes magis obstringerentur ad officium protegendæ Ecclesiæ per se jam sibi proprium.*

XI. *Hoc suum officium impleverunt Imperatores & Principes, dum leges Episcoporum legibus suis stabiliebant, repugnantésque iis puniebant.*

XII. *Ex eodem officio profluxit eorum ratihabitio, sive confirmatio decisionum circa fidem ab Episcopis in Conciliis factarum.*

XIII. *Eò pariter conspirarunt particulares Imperatorum leges v. gr. circa auctoritatem Conciliorum inviolatè conservandam, libros hæreticos aut suspicios probibendos &c.*

XIV.

XIV. *Ista & hujus similia præcepêre, aut prohibuêre illi ab Episcopis priùs edocti, & in Synodis instructi, suásque leges conformarunt canonibus.*

XV. *Primitùs credidêre de sua potestate optimi Imperatores, eam solùm versari circa protegendam Ecclesiam.*

XVI. *Ita Carolus M. eximius eorum imitator suum officium protectionis, non potestatem jurisdictionis in Ecclesiam liberè fassus est.*

XVII. *Licèt limites utriusque potestatis distincti sint, maxima tamen inter utramque est conjunctio; cujus rei in apparente legum ecclesiasticarum & sæcularium confusione clara fit expositio.*

XVIII. *Explicatur, quâ ratione olim non minimæ fuerint Imperatorum partes in convocandis & dirigendis Conciliis.*

XIX. *Idem argumentum prolixiùs tractatur, quomodo utraque potestas ecclesiastica & civilis concurrat ad celebrationem Conciliorum.*

XX. *Plures adhuc in medium proferuntur rationes prioribus sæculis Imperatorum christianorum auctoritatis necessariæ in convocatis Conciliis.*

XXI. *Non solo Imperatorum nutu, sed instinctu maximè Sacerdotum collectæ fuêre Synodi, ùt videre est in primis Conciliis generalibus.*

XXII. *Imò collectæ absque Imperatoribus Synodi laudatæ sunt; quæ verò facto regum limites protectionis excedentium convocatæ fuerunt, improbatæ.*

XXIII. *Ad difficultates in Conciliorum celebratione æquè, ac Pontificum constitutione & ordinatione è medio tollendas secernenda sunt facta & jura, & multa œconomiæ prudenti Ecclesiæ adscribenda sunt.*

XXIV. *Antiquos orthodoxos Principes officium tutelæ solummodò Conciliis & Ecclesiasticis legibus impendentes sequuntur hodie omnes Reges & Principes Catholici, etiam in Gallia. Exponitur examen, quod in supremis eorum auditoriis fieri solet, constitutionum Ecclesiasticarum.*

XXV. *Nonnunquam materia est mixta, atque suo sensu ab utraque dependens potestate.*

XXVI. *Ex qua observatione fluit ratio, cur olim Imperatores & Reges ad constitutionem Episcoporum fuerint admissi, & adhuc admittantur.*

XXVII. *Item, cur ab iisdem investituræ Episcopatuum data sint, & adhuc dentur: multum quoque in utroque, scilicet constitutione Episcoporum*

rum & inveſtitura adſcribendum venit prudenti Eccleſiæ œconomiæ.

XXVIII. *Ex his omnibus colligitur, Principum officium in cauſis fidei & religionis conſiſtere in ſola protectione religionis, ac advocatia Eccleſiæ, ejúsque legum auctoritativa executione.*

XXIX. *Inde concluditur, utramque poteſtatem intra hoſce recti terminos conſiſtentem, unam alteri non invidioſam, minùs nocivam, ſed vel maximè proficuam eſſe.*

I. CHriſtus in mundum pluribus erroribus obcæcatum veniens, voluntatem hominum majori ad rectè operandum, quàm priùs, alacritate complevit, demiſſóque Sancto Spiritu cultores ſuos in omnibus virtutibus adeò excellentes reddidit, ut temperantiâ, caſtitate, humilitate, verâ animi fortitudine & mortis contemptu inſignium perſonarum religioſarum & Martyrum plura eluxerint inter chriſtianos millium millia, quàm inter paganos his virtutibus nobilitati viri ſingulares: ſic inprimis religionem veram inſtituit & legibus firmavit, & in æternitatem ſtabilivit, ut nulla deinceps erroris macula Eccleſiam à ſe fundatam, & ſanctiſſimo ſpiritu ſuo gubernatam, eámque viſibilem futuram, & toto terra-

rum

rum orbe diffundendam potuerit obfuſcare. Id quod in variis novi veteríſque teſtamenti locis tam perſpicuè pollicetur, ut nihil ſit in fide chriſtiana certius, nihil in ſymbolo chriſtianorum firmius, quàm hanc Chriſti Eccleſiam Catholicam & Apoſtolicam à veritatis regula per ipſum Chriſtum tradita nunquam deflexuram. Quod ergo homines naturâ duce externam juſtitiam in communi vita ſequebantur, hoc Chriſti diſciplina multò magìs ratum habuit, & adjectis maximis æternæ vitæ præmiis acrius juſtitiæ ſtudium in chriſtianorum pectoribus accendit, ut virtutes morales appeterent, illíſque prædiți ad præclariùs de amicis, de parentibus, de matrimonio & procreationis ordinata ſerie, de civibus, de toto reipublicæ ſtatu merendum inſtruerentur, & hoc quoque ſanctiſſima Chriſti Religio confirmavit, & adjectâ intrinſecùs Spiritûs S. gratiâ mentes ſuorum ſic illuſtravit, ut multò, quàm priùs, flagrantiùs in harum ſtudium incumberent.

II. Porrò nonniſi Chriſtiana Religio officium & obedientiam ſubditorum Regibus & Principibus debitam ad perfectum adduxit, utpote quæ his non bona ſolùm & corpora, ſed & corda illo-

rum

rum verè & perfectè ſubmittit, dum eosdem Reges & Principes veluti Dei vicarios & miniſtros reſpicit, inculcans propter eminentem hancce qualitatem ſubditis non obſequium exterius duntaxat & coactum, verùm etiam ſubjectionem voluntariam & ex fundo cordis præſtandam, in vinculo conſcientiæ tanquam officium religionis indiſpenſabile, neque metu ſolo externarum pœnarum, ſed amore legis & voluntatis Dei, & timore lædendi animam per peccatum, taliter ut majeſtas prima ipſis ſit Deus, ſecunda Rex ſive Princeps, & non attendendo hujus vitia, quæ perſonalia & ipſius ſunt, ſed poteſtatem, quæ à Deo & ſemper bona eſt, reverendo, fide ulteriùs certâ teneant, quòd erigere ſe contra eundem, qualiscunque ſit, idem ſit, ac Deum invadere, & ab obedientia illius ſe ſubducere velle, ſit idem, ac nolle divinæ ordinationi ſubjacere, tandémque quòd Deus pœnis etiam æternis ulturus ſit rebellionem ſubditorum adverſus Regem ſuum, quia hic imago Dei eſt.

III. Quòd etiam Deum eſſe, in ejúsque honorem ſacra quædam agenda eſſe, perſuaſum homines haberent, nec hoc Chriſtus in nova lege refutavit, quod ipſemet nimirum creator æternâ

naturæ lege homines creaturas ſuas edocuerat, & lege temporali per Moyſen latâ Judæis olim præſcripſerat; at quòd à recta Dei veri & unius cognitione ad multos & falſos Deos aberrarent, & propter ignorantiam veri cultûs ad idololatricos ritus devolverentur, hoc adeo efficaciter in eis correxit, ut & præſentes tum ignorantiæ tenebras diſpelleret, & clariſſimam veritatis lucem inveheret, & quò ſemper in eadem veritate perſiſterent, certam & conſtantiſſimam eis regulam traderet.

IV. Reipublicæ ergo ſuæ, quam Eccleſiam vocamus, & quam ipſe partim labore & ſanguine ſuo fundavit, partim Apoſtolorum ſuorum prædicationibus ampliavit, & per univerſum mundum dilatavit, certos dedit moderatores, alios quidem magis neceſſarios, qui intrinſecam ejus naturam curarent, puritatem dogmatum, articulos fidei, Sacramentorum doctrinam & uſum, diſciplinam eccleſiaſticam, & ſiquæ alia ad interiorem ejus vitam pertinent, quos Epiſcopos vocamus, quorum officium quia circa ſublimiora & valde recondita myſteria verſatur, ideóque perpetuò præſentem divini Numinis gratiam requirebat, idcirco ipſe promiſit Matth.

28. Joan. *14. & 16.* ſe illis affuturum omnibus diebus ad ſæculi usque conſummationem, nec ab eis unquam receſſurum ſpiritum veritatis, qui eos in omnem veritatem duceret. Principes autem & Magiſtratum civilem, quos priùs in naturæ lege ordinaverat; ita jam gratiæ lege perfecit, ut tum demum perfectè munere ſuo fungerentur, cùm myſticâ per Sacramentum baptismi factâ regeneratione in Eccleſiam inſiti Epiſcopis regenerantibus, ut filii Patribus, ut oves Paſtoribus, ut diſcipuli Magiſtris, quemadmodum Chriſtus præceperat Joan. *21.* Hebr. *13.* in iis, quæ ſpiritum & negotium ſalutis concernunt, ſe ſimul inclinantes, politicum ſuum gladium dirigerent ad eam extrinſecam Eccleſiæ pacem procurandam, cujus interna Sacramenta diximus Epiſcoporum fidei fuiſſe commiſſa; hoc enim in Teſtamento novo futurum proprium Regum & Principum officium pulcherrimè vaticinatus eſt divinus Propheta, dum ait *futuros Reges nutritios, & Reginas nutrices Eccleſiæ,* & dum prædixit, *gentem & regnum, quod non ſervîerit Eccleſiæ, periturum.* Id quod omnes boni chriſtianorum Principes tempore Evangelii ſuum fuiſſe munus & officium, ídque ex divina ordinatione

& verbis, & factis, & moribus ſemper ſunt profeſſi.

V. Atque hanc totam Regis poteſtatem hoc ſenſu quaſi eccleſiaſticam, ſacrámque functionem Spiritus Sanctus, Chriſtíque Apoſtolus Petrus pereleganter ſignificavit, dum appellavit ſtatum Teſtamenti novi ſacerdotium Regale *I. Petri 3.* quia nimirum Reges chriſtianorum ita optimè Regio ſe nomine dignos oſtendunt, ſi ſacerdotio Chriſti in Eccleſia ſuſtinendo, & ſacerdotum eccleſiaſticas leges corroborando, ſuam regalem auctoritatem impendunt; in quo advocatiæ & protectionis officio propriè cardinem & medullam Regii inter chriſtianos ſplendoris conſiſtere, omnes antiquiſſimi & ſanctiſſimi Epiſcopi docuerunt, omnes fortiſſimi atque optimi Imperatores, Reges & Principes conſtanter crediderunt. Quam ob rem Conſtantinus M. uti refert Euſeb. de vita Conſtantini *L. 4. cap. 24.* dictitare ſolebat. „ Vos Epiſcopi intra „ Eccleſiam, ego extra Eccleſiam Epiſcopus à „ Deo conſtitutus ſum. „ Nec ex variis titulis, quos ex præclariſſimis victoriis multos omnésque glorioſos adeptus eſt Carolus ille Francorum Imperator nomine Magnus, ſed re Maxi-

mus,

mus, ullus fuit illuſtrior, quàm *quo ſe Catholicæ Eccleſiæ humilem adjutorem vocavit velut aliàs filium & defenſorem ſanctæ Dei Eccleſiæ.* Tom. III. Concil. pag. 247.

VI. Eſtque hoc longè excellentiſſimum beneficium Regibus paganis ad Chriſtum converſis per Chriſti fidem & doctrinam collatum, quòd, cum priùs eorum regnum, etiam cùm optimè gereretur, fuerit merè politicum, mundanum, profanum, carnale & à vera ſanctitate alienum, jam per chriſtianam profeſſionem, quâ ipſi in filios Dei & Eccleſiæ mutati ſunt, eorum quoque ſceptrum, ſacrum, religioſum, eccleſiaſticum, ſpirituale & ſacerdotale quodammodo effectum ſit: quia ad eandem Chriſti Eccleſiam cum ſacerdotibus ſuo modo dirigendam, adſcitâ videlicet authoritate ſuóque cooperante brachio ſæculari, admittuntur, & roborandis protegendísque Spiritûs S. divinis ſanctionibus editis per eos, quos ſpiritus ille poſuit regere Eccleſiam ſanguine Chriſti acquiſitam, eorum ſceptra inſerviunt: id quod ipſiſſimum eſt Regum miniſterium tantis antea ſæculis à Prophetis digniſſimis prædictum, & in eo præcipuè vertitur Regiæ poteſtatis natura, quando in hominem chriſtianum incidit.

Etſi enim Regum, quatenus Reges ſunt, officium eſt, leges de pace, de bello, de quiete civium, & de exteris civilibus bonis & commodis publicis ferre, in eóque pagani Reges, qui boni fuerunt, rectè quidem ſuæ regali munere ſunt uſi: tamen dum chriſtianus homo commiſſum ſibi à Deo regimen accipit, primo loco chriſtiana fides & religio eſt attendenda, & diligentiſſimè providendum, ut omnes de pace, bellóque & commerciis & quiete civili leges, cum legibus chriſtianis conveniant, & ſiquando in præjudicium damnúmque religionis eæ leges cedunt, in Regali officio graviter peccat, niſi leges eas corrigat, & ita formet, atque immutet, ut ne profeſſioni chriſtianæ noceant.

VII. Duplex ergò Regis Chriſtiani officium eſt, gubernare Rempublicam; & tueri Religionem ſive Eccleſiam, proin quemadmodum apud paganos Principes in particularibus legibus ſcribendis unica, ſuprema & generalis regula, quâ ſua omnia cogitata, conſulta, decreta dirigebantur, erat illud: *ſalus populi ſuprema lex eſto:* Cicero de Legibus Lib. II.; ita apud Chriſtianos, quorum regna Chriſto ſubjiciuntur, quorum imperia ad ſalutem animarum & felicitatem æternam ſimul tendunt, quæ ſolâ Chriſti fide comparatur, hanc

ſibi

ſibi fidem & religionem Principes in omnibus ſuis edictis perpetuò proponere debent, illúdque ùt firmum & indubitatum inſimul & præprimis tenere; *ſalus animarum, æterna beatitudo, vera Chriſti religio ſuprema lex eſto.* Atque hunc fuiſſe ſenſum & ſententiam omnium veterum Imperatorum, omniúmque bonorum Regum, dicta, ſcripta, acta & mores eorundem probant, idémque convincit Imperatorum & ferè omnium chriſtianorum Europæ Regum, cùm Reges creantur, inauguratio; quanquam enim ſi antiquis moribus viveretur, in nudo Regis verbo ſatìs eſſet ad eos ad hoc obligandos momenti, tamen, quia plurium Imperatorum & Regum magna ſæpiùs extitit circa hoc perfidia, hypocriſis & ſimulatio, propterea tot vincula ſtipulationum & juramentorum in ſolenni coronandi cæremonia uſurpanda adjuncta ſunt; hinc fit, ut non niſi in Eccleſiis & ad altare, & dum ſacroſanctum chriſtianorum myſterium peragitur, ad regendum inaugurentur; hinc fit, ut Epiſcopi ſceptrum & diadema illis porrigant; hinc anathemata & execrationes illis imponuntur, ſi fidem datam fefellerint; hinc jusjurandum ab illis exigitur, de fide Catholica conſtanter tuenda, & Eccleſiæ Catholicæ Pontificibus honorandis

&

& protegendis; hinc ſacerdotum inſtar ſacris veſtibus induuntur, & inunguntur, ſcilicet ut in ſacerdotalis miniſterii quandam partem ſe aſſumptos reminiſcantur, ſéque exteriùs Epiſcopos quodammodo effectos externam Eccleſiæ pacem, diſciplinam & politiam debere defendere, quemadmodum interiùs Eccleſiæ myſteriis Epiſcopi verè præſunt.

VIII. Inde eſt, quòd olim Imperatoribus etiam in Conciliis acclamatum fuerit, utì Marciano in Concil. Chalced. act. 6. *Sacerdoti, Imperatori multos annos*, & aliquanto ſupra: *Martiano novo Conſtantino, novo Paulo, novo David, orthodoxam fidem tu roborâſti; ſicut Apoſtoli, ita creditis.* Ibidémque *Actione 1.* repetitum fuit illud ex *Act. 7.* Concilii Conſtantinopolitani ſub Flaviano, ubi Theodoſio acclamabatur: *Orthodoxo, pio Imperatori, Pontifici Imperatori.* Parte quoque tertiâ ejusdem Chalced. Synodi legitur epiſtola Agapiti Rhodi Epiſcopi ad Leonem Imperatorem hæc habens: „ verè namque *Sacerdos* „ & naturâ Imperator exiſtis. Cujus ſacerdotii „ imperatorio nomini agnati coalitíque origo „ repetenda eſt ab ipſo primo chriſtiano Impe„ ratore Conſtantino, qui ſe quoque Epiſcopum,

exteriorem ſe Eccleſiæ & velut Epiſcopum communem omnium gloriosâ fortis manûs aſſiſtentiâ gloriabatur apud Euſeb. *L. 1. cit.* de vita ejus *cap. 44. & lib. 4. cap. 23. & 24.* Cui alludens Carolus Magnus *Lib. 6 Capitul. 1306.* „ Quod „ & nos, qui miniſtri Domini ſumus, nec ſine „ cauſa Dei gladium portamus, *epiſcopali in vice* „ *omnium epiſcoporum*, atque regali auctoritate „ pro viribus cunctos agere jubemus.

IX. Quamobrem ſiquis ſigillatim percurrere velit Imperatorum & Regum jura, ratio & natura communis omnium parens nihil chriſtianis Regibus impoſuit, indulsítque ſupra paganos ſive veteres Romanos & Græcos ſingulare, ſiquidem ſolam naturæ & rationis legem intueamur, & primas Regum origines conſideremus; ſin verò nos ad Evangelii legem convertamus, ubi tot ſunt præcepta divinitùs edita de juſtitia, de pietate, de fide, de vita beata, de ſuppliciis æternis, ubi Regia dignitas erroribus paganis liberata ad diſciplinæ chriſtianæ veritatem inſtruitur, & ad cœleſtem beatitudinem refertur; ubi ejus felicitatis adipiſcendæ nulla via eſt alia, niſi per Chriſti Eccleſiam, ideo Regia auctoritas inprimis debet Eccleſiæ bonum intendere, Ec-

cleſiæ ſtatum tueri, Eccleſiæ canones promulgare & executioni mandare, Eccleſiæ adverſarios expellere, Eccleſiæ ſervandæ, propagandæ, amplificandæ, & religioni protegendæ omnibus modis ſtudere, maximè cum tot ſint vincula, obligationes, juramenta de Eccleſia protegenda, ejúsque antiquâ fide ad extremum vitæ ſpiritum etiam cum ſanguinis & fortunarum omnium diſpendio conſervandâ.

X. Perpendentes nimirum Majores noſtri, ex priſcorum temporum experientia, rerum humanarum, multò autem magìs divinarum conturbationem, quam nonnulli Imperatores Tyranni & à fidei veritate devii induxêre, ordinem chriſtianis Regibus præſcriptum pervertendo, ſapientiſſimo conſilio uſi, eo maximè tempore, quo diſſipato Imperio Romano in omnibus Europæ provinciis nova regna emergebant, quàm optimè fieri poterat, humanâ providentiâ præcaverunt, ne chriſtiana regna iſtiusmodi tempeſtatibus concuterentur; ideóque illi, quibus regnorum ejusmodi prima ordinatio credita fuit, defixis attentè oculis in religionis æternam & immobilem veritatem à Deo optimo profectam, & ſimul ponderantes vetuſtiſſimorum Patrum perpetuam

petuam de his Regii dominatûs finibus prædicationem, ipsorúmque Imperatorum Constantini, Theodosii, Marciani & Justiniani &c. quorum gloria in orbe christiano clarissima, professionem & consuetudinem, & quantùm sub illo divino Principum cum Episcopis nexu Ecclesia Dei ad salutem plurimorum aucta sit, ac quòd respublica christiana seditionibus caruerit, morésque hominum multò magis ad pietatem, fidelitatem & obedientiam compositi, & eâ Imperii & sacerdotii concordiâ utriusque adversarii protriti fuerint, unáque advertentes, quantoperè illa contraria Constantii, Juliani, Valentis & similium perversitas fuerit omni hominum generi exosa & detestabilis; religioni autem Christi, quam illi potissimùm dirigebant, suis imperandi finibus non contenti, Ecclesiasticum quoque regimen contra jus & fas invadentes, inprimis perniciosissima extiterit, hanc, inquam, ob causam illi Reges suos ita præfecerunt, ut cum Philosophis & vetustis Legislatoribus ad naturalem Reipublicæ cujusque finem, qui in externa justitia & morum probitate & reipublicæ tranquillitate positus est, eorum regna quidem dirigi voluerint; supernaturalem insimul verò finem æternæ vitæ, ad quam religio & fides chri-

ſtiana ducit, multò majori ſollicitudine illis præpoſuerint conſectandum, ſummâ ratione Regium culmen chriſtianæ religioni ſubordinantes in iis, quæ ad eandem Chriſti religionem pertinent, & quatenus non ſolùm his nihil diſſentaneum aliquando præciperent, ſed eandem fidem & religionem, & quæ illuc ſpectant, in Eccleſia Chriſti conſtanter defenderent, propugnarent & conſervarent, ac hæreſes quascunque extirparent. Quo facto reipublicæ univerſæ, ſibi ipſis particulatim, & ipſis quoque Principibus quàm optimè & diviniſſimè conſulebant.

XI. Inde eſt, quòd, ſicut antiqui & tam Orientis, quàm Occidentis Imperatores, ita & Reges & Principes chriſtiani pii omnes ſemper agnoverint, hoc ſuum fuiſſe officium, ut, quæ Epiſcopi in Conciliis ſuis decreviſſent, ea iidem Reges gladiis & legibus & moribus ſtabilirent, nec non Conciliis & Conciliorum decretis repugnantes legitimis ſuppliciis caſtigarent; ita enim verò in Concil. Chalcedonenſi *Act. 1. & 6.* proteſtatur Imperator Marcianus, ſe veniſſe, ut exemplo Conſtantini M. quæ Epiſcopi divinâ authoritate ſacroſancta eſſe decernerent, ipſe Imperiali authoritate populis ſervanda ediceret, &

Con-

Concilii decretis repugnantes pœnis afficeret non aliter, quàm utì Conſtantinus damnatos à Concilio Nicæno in exilium ejecit, Arii libros cremavit, & ſiqui eos celare deprehenderentur, capitali ſupplicio affecit; cujusmodi exemplis omnes hiſtoriæ, omnes annales, omnia ſcriptorum monumenta referta ſunt: id quod Juſtinianus Imperator apertiſſimè teſtatur, ſi de perſonis hæreticorum Synodus Epiſcoporum aliquid ſtatuiſſet, „ quoties (inquit ille in Concil. Conſtanti-
„ nopol. *V. Act. 1.*) ſacerdotum ſententia
„ quosdam indignos ſacerdotio de ſacris ſedi-
„ bus depoſuit, quemadmodum Neſtorium, Eu-
„ tychen, Arium, Macedonium, Eunomium &
„ ſimiles; toties Imperium ejusdem ſententiæ
„ & ordinationis cum ſacerdotum authoritate
„ fuit; *ſícque divinâ pariter & humanâ concur-*
„ *rentiâ unam conſonantiam rectis ſententiis fecê-*
„ *re.* Sicut nuper circa Anthymum factum eſt,
„ qui dejectus eſt à ſede hujus Regiæ urbis per
„ glorioſæ memoriæ Agapetum ſanctiſſimum
„ Romanæ Eccleſiæ Pontificem.

XII. Si de dogmatibus fidei credendis Epiſcopi in Synodis ſuis ſtatuiſſent, Imperatores perpetuò eadem dogmata impensâ extrinſecùs

firmitate & cuſtodiâ rata fecerunt; & ut ait idem Juſtinianus poſt commemoratos in dicta V. Synodo Generali Nicæni Concilii canones ſub Conſtantino M. contra Arianam hæreſim, Conſtantinopolitani ſub Theodoſio ſeniore contra Macedonium, Epheſini ſub Theodoſio juniore contra Neſtorium, Chalcedonenſis ſub Marciano contra Eutychen & Neſtorianos, eâdem *Act.* 1. „ his omnibus per diverſa tempora ſubſecutis „ prædicti piæ recordationis noſtri Patres & Im„ peratores ea, quæ in unoquoque Concilio ju„ dicata ſunt, legibus ſuis corroboraverunt, & „ confirmaverunt, & hæreticos, qui definitio„ nibus prædictorum ſanctorum 4. Conciliorum „ reſiſtere & Eccleſiam conturbare conati ſunt, „ expulerunt, „ idémque ipſe Juſtinianus ſe facturum pollicetur quoad ea, quæ ab Epiſcopis in hac V. Synodo eſſent definita.

XIII. Particulares verò horum Imperatorum leges ad ſempiternam & iſtorum memoriam atque gloriam, & Regum, qui poſtea ſecuturi erant, imitationem atque exemplum in jure civili recenſentur, v. g. ut Conciliorum generalium inviolata maneat authoritas, quod eſt chriſtianæ pacis & eccleſiaſticæ unitatis caput,

ſic

ſic edicunt Theodoſius, Valentinianus & Marcianus in *Cod. Tit. I.* de ſumma Trinit. §. *nemo.* ibi: „ Nemo Clericus vel militaris vel alterius cujus-„ libet conditionis de fide chriſtiana publicè „ tractare conetur impoſterum &c. nam & inju-„ riam facit judicio Reverendiſſimæ Synodi, ſi-„ quis ſemel judicata ac rectè diſpoſita revolve-„ re, & publicè diſputare contenderit, & con-„ temptoribus hujus legis pœnæ non deerunt.„ Ut hæretici cujuscunque generis comprimantur, ita præcipiunt ibi §. „ Sancimus, ut omnes im-„ piæ Neſtorii fidei æmuli, aut nefariæ ejus do-„ ctrinæ ſequaces, ſi quidem Epiſcopi ſint, aut „ Clerici, à ſacroſanctis Eccleſiis ejiciantur; ſi „ verò laici, anathematizentur, licentiam haben-„ tibus cunctis orthodoxis illis, ſi voluerint, om-„ ni metu & damno ceſſante, publicè denun-„ ciare, accuſare, reósque peragere. „ Quoad libros verò non modò hæreticè, ſed vel ſuſpicio-sè ſcriptos adhuc, modum piè & chriſtianè præ-ſcribunt itidem: „ Quoniam pervenit ad noſtras „ aures, quosdam doctrinas conſcripſiſſe & emiſiſ-„ ſe ambiguas non exactè & per omnia con-„ gruentes expoſitæ in Nicæna Synodo fidei, & „ his, qui in Synodum Epheſinam convene-

„runt,

„ runt, ſanctis Patribus; jubemus omnia iſtius-
„ modi ſcripta incendi, ac perfectiſſimo interi-
„ tui mancipari, ita ut in nullius lectionem ve-
„ niant, iis certè, qui talia ſcripta habere & le-
„ gere ſuſtinuerint, ultimum ſupplicium ſubitu-
„ ris.„ Conventicula autem & conciones hæreticorum usque adeo horrent, ut, ſiquid vel ipſi Imperatores per errorem hæreticis largiti ſint, illud indultum irritum velint eſſe & nullius momenti ibid. §. „ Nullus hæreticis miniſteriorum
„ locus, nulla ad exercendam animi obſtinatio-
„ ris dementiam pateat occaſio. Sciant omnes,
„ etiamſi quid ſpeciali quolibet reſcripto per
„ fraudem elicito ab hujusmodi hominum ge-
„ nere impetratum ſit, non valere. Arceantur
„ cunctorum hæreticorum ab illicitis congrega-
„ tionibus turbæ, unius Dei nomen ubique ce-
„ lebretur juxta Nicænam fidem à Majoribus
„ traditam.

XIV. Atque in iſtis maximis Imperatoribus notandum & ſuſpiciendum eſt, non tam, quòd iſta juſſerint, & decreverint, quàm quòd eadem poſuerint & præceperint, ab Epiſcopis priùs edocti & à Synodis inſtructi, & dependenter à prævia iſtorum dictatura; quódque Epiſcopo-

rum

rum & Synodorum canonibus ſuas conforma-
rint & accomodarint leges, etiam pragmaticas
ſanctiones iisdem canonibus contrarias abrogare
nequaquam dubitantes. Cujus rei præclariſſi-
mum in Chalcedonenſi Synodo documentum
ſe offert, ubi Martianus judices delegat, qui
ejus nomine Synodum ita alloquuntur: „Sacra-
„ tiſſimo Domino orbis placuit, non juxta ſa-
„ cras litteras, aut pragmaticos typos res ſanctiſ-
„ ſimorum Epiſcoporum procedere, ſed *juxta*
„ *regulas à ſanctis Patribus latas.* Omni igitur
„ ceſſante è ſacris pragmaticis definitione, ca-
„ nones de hoc capitulo editi legantur.„ Tum
rogant judices, „ dicat ſancta & univerſalis
„ Synodus, utrùm ei placeat, ex canonibus Pa-
„ trum hujus cauſæ quæſtionem examinari, an
„ è ſacris pragmaticis, de quibus quod ſacro
„ apici viſum ſit, jam omnibus apertum fecimus.
Sancta Synodus dicit. *Contra Canones ni-*
hil pragmaticum valeat, Canones Patrum teneant.
Juſtinianus frequenter ſuis edictis ſolet attexere
clauſulam, quâ poteſtatem Epiſcoporum præde-
finientem & prædecernentem ſupponit, „ ſanci-
„ mus (inquit ille conſtitut. 131.) *ſacras ſequentes*
„ *regulas*, ne quis bigamus ſacerdos ordinetur.

„ Sancimus, ut ſancti eccleſiaſtici canones, qui
„ à ſanctis 4. Conciliis expoſiti & confirmati
„ ſunt, vicem legum obtineant, prædictorum
„ enim Conciliorum decreta perinde ùt ſacras
„ Scripturas ſuſcipimus; & canones ùt leges cu-
„ ſtodimus: ac propterea ſancimus, ut *ſecun-*
„ *dùm eorum definitiones ſanctiſſimus veteris*
„ *Romæ Papa primus ſit omnium ſacerdotum &c.*„
Veterúmque Patrum Decretis inhæ-
rendo hæreticos (ait Conſtitut. 109.) *illi dixerunt,*
& nos dicimus, quicunque diverſarum ſectarum
ſunt, Eutychiani, Acephali, Manichæi &c. &
quicunque membrum ſanctæ Dei Catholicæ & Apo-
ſtolicæ Eccleſiæ non ſunt, in qua & omnes ſanctiſſimi
totius orbis habitati Patriarchæ, & omnes ſub iis
conſtituti Religioſiſſimi Epiſcopi, uno ore Apoſtoli-
cam fidem atque traditionem prædicant. Cúmque
Romanus Pontifex Agapetus Conſtantinopolis
Patriarcham Anthymum propter hæreſim ex Ec-
cleſia expuliſſet, *hanc* (inquit Juſtinianus conſti-
tut. 24.) *ſententiam tametſi per ſe ſatìs valentem,*
multò tamen adhuc valentiorem reddit Majeſtas
Imperatoria, quæ Regiâ hâc urbe ipſum expellit.

XV.

XV. Quare autem adeò ſtudiosè eccleſiaſticas ſanctiones civilibus legibus confirmet, & (ùt ipſe loquitur ibidem) *quæ ſummum ſacerdotium decrevit, Majeſtas Imperatoria corroboret*, pulcherrimam & maximè chriſtianam affert rationem Conſtitut. 123.; *ſi enim leges civiles, quarum poteſtatem fidei noſtræ Deus concredidit, per omnia firmas ac ſtabiles conſervari ad ſubditorum ſecuritatem, ſtudemus, quantò plus ſtudii debemus circa ſacrarum regularum & divinarum legum obſervationem ponere, quæ pro ſalute animarum noſtrarum definitæ & conſtitutæ ſunt.* Hoc modo in prima chriſtianorum Principum Eccleſia optimi, iidémque potentiſſimi Imperatores de ſua, quanta quanta erat, Imperatoria potentia crediderunt: hoc actionibus ſuis docuerunt: hoc glorioſiſſimo exemplo poſteritati chriſtianæ, Regibúsque univerſis prædicarunt optimè gnari, quòd propagandæ, ſervandæ inſtaurandæque religioni plurimum conferat ſæcularium Principum protectrix authoritas. Atque ita ferè in lege Chriſti perfectum eſt, quod in lege Moyſis *Deutr. 17.* olim adumbratum fuit de omnibus hominibus, ſiquando controverſiæ

emergerent, ad ſacerdotes Leviticos confugientibus, & ſacerdotum judicio acquieſcentibus; quod ſiqui præfractè contentioſos contra ſacerdotis ſententiam ſe præberent, eos brachium ſæculare frænaret, & juxta obſtinationis gradus proportionatis & condignis ſuppliciis afficeret. Et in hoc quidem munere, quo Reges ſuum gladium ad eccleſiaſticæ diſciplinæ defenſionem conferunt, & fidem chriſtianam ab Epiſcopis traditam ſuis edictis corroborant, ita propriè conſiſtit vera Regum chriſtianorum quà talium auctoritas, ut, dum ſecus faciunt, causásque eccleſiaſticas ad ſua tribunalia rapiunt, ordinem divinitùs & à Chriſto conſtitutum perturbent, hoc eſt, ut ſuperiùs enumerati ſanctiſſimi Epiſcopi Athanaſius, Oſius, Nazianzenus, Ambroſius, Chryſoſtomus, Hilarius & alii docent, carnem ſpiritui, oves paſtoribus, terram cœlo, peritura æternis, hominémque Deo præferant, & ſimul ſceptra ſua infirment, civilísque obedientiæ ipſos nervos tandem incidant.

XVI. Conſiſtit proinde poteſtas Imperatorum, Regum, ſive Principum ſæcularium circa ſacra, tota quanta in defenſione & protectione religionis, & publica tutela Eccleſiæ, neutiquam verò

verò in jure Majeſtatico regiminis, aut ſummi Imperii & ſacræ jurisdictionis in illam: id quod Carolus M. diffuſiùs explicat in *epiſt.* ad Leonem Pontificem: „ Noſtrum eſt ſecundùm auxilia „ divinæ pietatis ſanctam ubique Chriſti Eccle- „ ſiam ab incurſu paganorum & infidelium de- „ vaſtatione armis defendere, foris & intùs ca- „ tholicæ fidei agnitione munire &c. „ Eóque ſenſu Principes ſæculi in Eccleſia poteſtatis adeptæ culmina tenent; hócque ſenſu per regnum terrenum cœleſte regnum proficit, ut, qui inter Eccleſiam poſiti contra fidem & diſciplinam Eccleſiæ agunt, vigore Principum conterantur, ipſámque diſciplinam, quam Eccleſiæ humilitas exercere non prævalet, cervicibus ſuperborum poteſtas principalis imponat; hoc ſenſu Principum ſæcularium poteſtati Deus ſuam Eccleſiam credidit, ut agnoſcant Principes ſæculi, Deo debere ſe rationem reddere propter Eccleſiam, quam à Deo tuendam ſuſcipiunt, & ſive augeatur pax & diſciplina per fideles Principes, ſive ſolvatur, ille ab eis rationem exiget, qui eorum poteſtati ſuam Eccleſiam tradidit, uti loquitur Canon *23. cauſa 23. q. 5.*

XVII. Nimirum quamvis Mediator Dei & hominum homo Christus JESUS sic actibus propriis & dignitatibus distinctis officia utriusque potestatis verè discreverit, intimam tamen & arctissimam inter utramque potestatem conjunctionem & concordiam ordinavit; ita ut, sicut scripsit Leo in *epist.* ad Pulcheriam Augustam, „ res humanæ aliter tutæ esse non possint, nisi „ quæ ad divinam confessionem pertinent, & „ *Regia & sacerdotalis defendat auctoritas.*„ Habemus decreta Pontificum, & Episcoporum circa omnes ferè res temporales; paucæ vicissim sunt spirituales, etiam circa præcipua fidei capita, circa quas non habeamus leges Imperatorum & Principum sæcularium. Hæc legum ecclesiasticarum & sæcularium quasi confusio circa res easdem spirituales, aut temporales non oritur ex corruptione superiorum ecclesiasticorum & Principum, qui non consistentes intra limites potentiæ, quam Deus illis credidit, totis viribus enisi sunt, ut usurparent administrationem à sua authoritate non pendentem; sed concordia, quâ jungi invicem debent, & studium, quo utrique secundùm spiritum Dei officio suo satisfacere satagebant, germanæ sunt hujus con-

spira-

ſpirationis cauſæ; proin erraret, qui contende-
ret, Deum dediſſe Principibus poteſtatem de-
terminandi, quid credendum ſit in religione JE-
SU Chriſti, & ordinandi res ſacras & merè ſpiri-
tuales ex poteſtate jurisdictionis, quia inter le-
ges Principum chriſtianorum, religionis ſtudio-
ſiſſimorum, plurimæ tales exiſtunt. Faſſi ſunt ii-
dem, res ejusmodi ſacras à jurisdictione Eccleſiæ
unicè pendere; Deus Principes conſtituit ſan-
ctorum Decretorum protectores, atque ſub hoc
nomine ad officium eorum pertinet, non ut le-
ges condant, ſtatuántque, quod bene & conſtan-
ter notandum eſt, circa rerum ſacrarum princi-
pia, nec judicent, aut pronuntient, velut judices
circa ſubſtantiam vel principia rerum, quæ merè
ſpirituales ſunt; ſed illa ſupponendo inſtituta, at-
que ordinata per leges ſuperiorum eccleſiaſtico-
rum, nec non poſtquam Pontifices vel Epiſcopi
deſuper judicaverunt, omnem authoritatem à
Deo ſibi collatam adhibeant, ut earundem vide-
licet alioqui inermium executionem procurent,
cogendo & puniendo ſubditos contumaces, ac
Eccleſiæ rebelles. Deus viciſſim ſuperioribus
eccleſiaſticis præcipit, non ſolùm ut populos do-
ceant obedientiam, quam debent Principibus

ſupre-

ſupremis, ſed etiam ut poteſtate ſibi divinitùs collatâ utantur ad eos cogendos, usque ſi opus fuerit, pœnas eccleſiaſticas graviores adverſus contumaces ac rebelles erga Principes ſanciant. Populi nimirum non uno eodémque modo affecti ſunt; ſunt, quos pœnarum temporalium timor officio contineat, qui pœnas eccleſiaſticas contemnerent; alios magìs movet excommunicatio, velut nervus diſciplinæ eccleſiaſticæ, & ad continendos in officio populos valde & magìs ſaluturaris, quàm bonorum temporalium jactura. Hæ cauſæ Eccleſiam impulerunt, ut faceret ex æquo protectionis munere decreta etiam circa temporalia; eædem Principes chriſtianam Religionem profitentes moverunt, ut leges facerent circa res merè ſpirituales. Ambæ poteſtates ſeſe invicem indigent, Deúsque illarum auctor vult eos, quibus alterutram committit, ſibi mutuam neceſſariámque ad continendos in officio populos opem ferre, comitérque ſeſe invicem obſervare; ſacerdotium igitur & Imperium harmonicâ poteſtate & adminiſtratione exæquari quidem oportet, intra ſphæram tamen quodque ſuam.

XVIII. Diffiteri pariter nullatenus quidem poſſumus, quòd olim non exiguæ fuerint Prin-

cipum

cipum partes in convocandis & dirigendis Conciliis ſive eccleſiaſticis conventibus, in quibus de fide, de religione, de diſciplina eccleſiaſtica & morali chriſtiana agebatur; quibus Imperatores & Principes per ſe vel oratores ſuos interveniſſe conſtat ex Actis & Hiſtoriis Conciliorum; verùm partes has ſuas interpoſuerunt Imperatores & Principes, ut ordo debitus in his conventibus ſervaretur, tumultus & ſimultates compeſcerentur, omniáque tranquillè peragerentur, omni Epiſcopis tanquam Apoſtolorum ſucceſſoribus judicandi, decidendi, decernendi, determinandi, & ſymbola conficiendi libertate conſervatâ, authoritatéque inviolatè remanente; quæ tandem in hiſce Conciliis ritè deciſa & judicata eſſe videbant, ipſi ſuâ quoque authoritate muniebant, effectúsque civiles & publicos illis conferebant, ipſis definitionibus Conciliorum ſubſcribendo; quin & ſcitur, Principes ab Epiſcopis, & etiam Romanis Pontificibus inſtanter provocatos fuiſſe, ut interventu ſuo, ſuáque auctoritate fidei & morum decreta, & Eccleſiæ doctrinam munirent; id autem potiſſimùm deſiderabant Patres, ut mediante hâc Principum confirmatione & ſubſcriptione, earundem definitionum & edictorum

executionem & obſervantiam legibus & edictis publicis urgerent, ut populi & laici faciliùs ad easdem definitiones ſuſcipiendas inducerentur, & allicerentur; cum experientiâ conſtaret, difficulter ad Eccleſiæ obedientiam populum induci, niſi ejusdem decreta auctoritate Principum promulgarentur, & adjectis etiam pœnis temporalibus eorundem Principum authoritate ad obſervantiam conſtringeretur; coacta itaque tunc temporis fuêre Concilia ab Imperatoribus & Principibus poteſtate protectionis, non jure Majeſtatico regiminis & ſacræ jurisdictionis.

XIX. Duplex enim auctoritas in Conciliorum convocatione concurrere poteſt, & ſolet: Eccleſiaſtica velut judex & arbitra fidei & religionis, quatenus definiantur dogmata, condemnentur hæreſes & ſchiſmata, ſacri canones ad ſanciendam condantur diſciplinam: Civilis, ut decreta fidei & morum in forenſi etiam judicio vim legis publicæ obtineant, & per omnes Imperii provincias executioni tradi poſſint, & ut hæreticorum & ſchiſmaticorum contumacia Imperatoriâ etiam auctoritate comprimatur; ſive Imperator affuit & præfuit Conciliis velut exterior Epiſcopus, ut Eccleſiæ, ita & Synodi defen-

ſor, tumultuationum propulſator, pacis & ordinis vindex. Præfuit autem ſummus Pontifex ut Epiſcopatûs & fidei Antiſtes, ùt Apoſtolicæ Cathedræ hæres, ut Petri ſucceſſor. Conſtat id ipſum ex actis Concilii œcumenici III. ad quod Theodoſius & Valentinianus Candidianum comitem miſerunt, & hoc modo reſcripſerunt apud Hard. *Concil. p. 1346.* „ Igitur Candidia-
„ num præclariſſimum religioſorum domeſtico-
„ rum comitem ad ſacram veſtram Synodum
„ abire juſſimus; ſed eâ lege & conditione, ut
„ cum quæſtionibus & controverſiis, *quæ circa*
„ *fidei dogmata* incidunt, nihil quicquam commu-
„ ne habeat: nefas enim eſt, qui ſanctiſſimo-
„ rum Epiſcoporum catalogo adſcriptus non eſt,
„ illum eccleſiaſticis negotiis & conſultationi-
„ bus ſeſe immiſcere: verùm ut monachos &
„ ſæculares, ac cœteros omnes, qui hujus ſpe-
„ ctaculi causâ, vel eò nunc confluxerunt, vel
„ impoſterum fortè confluent, ab eadem illa
„ civitate modis omnibus ſubmoveat, quando-
„ quidem non licet, illos, qui omninò neceſſarii
„ non ſunt, ſacrorum dogmatum examen aliquo
„ tumultu impedire, & iis, qui cum tranquillita-
„ te à veſtra ſanctitate *conſtitui definirique* de-

„ bent, obſtaculum aliquod afferre; tunc rur-
„ ſus, ut diligenter proſpiciat, ne qua gravior
„ diſſenſio ex mutuo repugnandi ſtudio coorta,
„ & ſævæ tempeſtatis inſtar debacchata ſanctiſ-
„ ſimæ Synodi veſtræ conſultationem exactio-
„ rémque veritatis indagationem quovis modo
„ obturbet: tum denique operam det ſedulam,
„ ut omnibus & ſingulis, quæ dicuntur, ritè per-
„ ceptis ſinguli inoffensè, quod viſum fuerit, in
„ medium proponere, vel ab aliis propoſitum,
„ ſi opus fuerit, refutare queant: ut eâ tandem
„ ratione, ubi per ſingulas propoſitiones, exce-
„ ptionésque inquiſitio citra ullam omnino tur-
„ bam contentionémque habita fuerit, quod
„ omnibus placitum probatúmque erit, *commu-*
„ *ni veſtræ ſanctitatis ſententia conſtituatur decer-*
„ *natúrque*: „ & apud eund. cit. loc. p. 1539. ubi
ita: „ oportet enim omnia juxta Dei beneplaci-
„ tum contentione ſeclusâ veritatísque ſtudio
„ adhibito diſcuti, ac tum demum à noſtra pie-
„ tate confirmationem obtinere.

XX. Neceſſe quoque erat prioribus ſæculis chriſtianorum Imperatorum authoritatem ad Synodorum convocationem concurrere ob alias etiam rationes: Imò, quia Eccleſia temporale

tum

tum temporis dominium non habebat, aut urbis alicujus vel Provinciæ imperium, adeóque neceſſe erat, ut Imperatores locum aliquem & urbem Imperii ſui aſſignarent ad celebrationem Concilii. 2dò, quia publicis expenſis deducebantur, alebantur Epiſcopi, in eóque elucebat chriſtianorum Imperatorum munificentia, hinc litterarum tractoriarum uſus. 3tiò, quia legibus cautum erat, ne conventus fierent absque Imperatorum licentia, ut respublica inde non caperet detrimentum, ùt patet ex *Cod. Theodoſiano Tit.* de Epiſcopis & Cleric. *L. conventicula.* 4tò; quòd Eccleſia tunc temporis prudenti & pium Imperatorum zelum fovente œconomiâ uſa fuerit, rata, minimè controverſiam faciendam eſſe Imperatoribus & Regibus de ea, quam ſibi pluſculum ſumunt in rebus etiam ejusmodi poteſtate, quamdiu eâ utuntur ex vero religionis zelo, prudentia & obtemperantia in ſacros canones, ac genuinâ diſciplinæ eccleſiaſticæ charitate.

XXI. Porrò quando convocata ſunt Concilia, maximè œcumenica ab Imperatoribus, conſilio tamen, aſſenſu, hortatu Epiſcoporum & imprimis Romani Pontificis id factum eſſe, atque ita

jus ſummum penes Epiſcopos reapſe fuiſſe, utpote quod eccleſiaſticum per ſeſe & Apoſtolicum eſt; extrinſecam autem ſpeciem & dignitatem penes Imperatores hæſiſſe, ut ſolet in ejusmodi rebus, præter multa, quæ allegari poſſent, ſatìs evincunt, quæ in Proſphonetico ſextæ Synodi ad Conſtantinum Imperatorem *Actione 16.* Græci Patres clamant ibi: „ Arius diviſor Trinitatis in„ ſurgebat, & continuò Conſtantinus ſemper „ Auguſtus & Sylveſter laudabilis magnam at„ que inſignem in Nicæa Synodum congrega„ bant &c. Macedonius ſpiritûs denegabat dei„ tatem, ſed maximus Imperator Theodoſius & „ Damaſus fidei adamas protinùs reſtiterunt &c. „ Gregorius & Nectarius in hac regia urbe con„ ventum congregabant &c. Iterum Neſtorius, „ & iterum Cæleſtinus & Cyrillus: ille quidem „ Chriſtum dividebat, illi verò cum ſceptrorum „ domino diviſorem dejiciebant, ut Epheſus & „ ibidem geſtorum tabulæ loquuntur &c. Dein„ de Eutychetis inſania &c. Leonis tuba tan„ quam Leonis rugitus vehementer vociferans „ ex Roma Archimandritam beſtiam perterruit „ &c. Marcianus Imperator & Anatolius Con„ ſtantinopolitanus Antiſtes cum omni Chalce-

donen-

„ donenſi à Chriſto congregata collectione &c. „ Sicut & Vigilius poſt hæc Juſtiniano piiſſimo „ conſonavit, & Vtum Concilium conſtitutum „ eſt &c. „ Hæc Græci Patres ſextæ Synodi œcumenicæ ad Imperatorem ipſum, qui ſextam Synodum indixerat; ubi ſuperiores Synodos generales non ſolo Imperatoris nutu, ſed inſtinctu maximè ſacerdotum collectas fuiſſe, interpretantur.

XXII. Imò verò collectas absque Imperatore Synodos laudari, eas verò, quæ indictæ geſtæque ſunt nutu Regum, quando metas officii advocatiæ & protectionis exceſſerunt, improbari teſtem habemus Maximum martyrem in *collat.* cum Theodoſio Epiſcopo Cæſareæ ibi: „ ſi Sy„ nodos, quæ factæ ſunt, juſſiones Imperatorum „ firmant, & non pia fides, recipe Synodos, quæ „ contra homouſion factæ ſunt; nam juſſione „ Principum ſunt patratæ, primam videlicet in „ Tyro, ſecundam in Antiochia, tertiam in Se„ leucia, quartam in Conſtantinopoli ſub Eudo„ xio Ariano, 5tam in Nicæa, ſextam in Syrmio, „ & poſthæc multò poſt 7timam in Epheſo ſe„ cundam; cui Dioſcorus præfuit. Omnes „ enim has Imperatorum juſſio aggregavit; quæ-

„ re autem non abjicitis eam, quæ depoſuit Pau-
„ lum Samoſatenum ſub ſanctis & beatis Diony-
„ ſio Papa Romano, & Dionyſio Alexandrino
„ & Gregorio miraculorum patratore, qui ei-
„ dem præfuit Synodo; *quoniam non eſt ex juſ-*
„ *ſione Imperatoris facta? qui præterea canon pro-*
„ *mulgat, ſolas illas approbandas Synodos, quæ Im-*
„ *peratoris juſſione ſunt congregatæ?*

XXIII. Secernenda ergo ſunt facta & jura, uti in celebratione Conciliorum, ita & in conſtitutione, ordinatione & depoſitione ipſorum Pontificum; multa enimverò circa hæc perperam facta eſſe, & in labefactata ſemper per hæreſes & ſchiſmata religione imbellibúsque tum Eccleſiæ & ſedis Apoſtolicæ viribus illicita, quæ deteſtatione magìs, quàm imitatione digna ſunt, auſos fuiſſe Imperatores, præſertim Arianos aliósque à fide orthodoxa devios & aliquando ſimoniacos contra legitimos & vel ſolâ ſuâ innocentiâ tutos Chriſti Vicarios Pontifices; alia verò Imperatores contra Antipapas & ſchiſmaticos vel ab æmulis intruſos & ſimoniacos ex ſupremo protectionis & defenſionis jure legitimè geſſiſſe, ex hiſtoriis liquet. Nominarunt præterea Imperatores ſubin perſonas in Pontifices conſecrandas,

inter-

intervenerunt quandoque vel per ſe, vel per miſſos ſuos electionibus Pontificum, iisdémque aſſenſum & confirmationem ſuam impertiti ſunt; id tamen omne non jure primigenio, ſtricto & verè ſpirituali, ſed magìs tolerantiæ, indulgentiæ, & prudentis œconomiæ jure niti, interpretandum eſt. Ex neceſſaria nimirùm & ſalutari diſpenſatione pro ratione temporum ſauciari ſmenda fuit libertas canonica in electionibus & ordinationibus, ne locus eſſet tumultuoſis & cruentis factionibus, ſimoniacis & violentis intruſionibus, quæ religionem adeò deturpabant, Eccleſiam maximè Romanam pudendo latrunculorum & graſſatorum jugo ſubjiciebant, & tandem electiones ipſas penitus extinxiſſent. Unde conſequitur, quòd jure ſuo non exuantur Pontifices & Epiſcopi, dum ex prudenti œconomia, & ex neceſſaria diſpenſatione aliquam ejus partem relinquunt, nam etiam tum jus ſuum, jus proprium & ſummum penes ipſos eſt, cum alius eo ſibi condonato vel indulto ex diſpenſatione utitur, vel abutitur. Hæc nimirum ad diſciplinam Eccleſiæ, quæ juxta circumſtantias, causásque utilitatis vel neceſſitatis viciſſitudini obnoxia eſt, pertinere dignoſcuntur, atque in his multa ſecum

defert tempus, multa rerum ſtatus mutavit in melius. Id firmum manſit & inconcuſſum ac invariatæ fidei, quòd ſuccedaneus hic mos requirendi conſenſum Imperatoris aut Principum ad electionem vel ordinationem Pontificum vel Epiſcoporum, qui ad alendam & retinendam indivulſam ſacerdotii & Imperii pacem ac concordiam maximè inolevit, neutiquam valeat ad veritatem, vel auctoritatem ſacræ ordinationis & poteſtatis clavium complendam.

XXIV. Quemadmodum olim orthodoxi Principes Conciliis generalibus aſſiſtendo, eáque dirigendo, ac unà cum Patribus deliberando, qualiter controverſiæ ac diſſidia in materia religionis ac fidei congruentiori modo dirimi ac componi poſſent, nec non decreta & definita ſuâ auctoritate muniendo & confirmando, eorúmque executionem urgendo, nequaquam ſe conſtituerunt religionis & fidei arbitros & judices, aut ſupremos rerum eccleſiaſticarum dictatores & legislatores; ita hodie nulli Reges & Principes catholici, etiam in Gallia, vel quocunque regno, aut provincia volentes per ſe vel in ſuis ſupremis Auditoriis examinari conſtitutiones eccleſiaſticas, Bullásque Romanas, neutiquam ſe præſu-

munt in judices fidei aut religionis erigere, aut decidere, quid fide credendum, aut non credendum ſit, neque poteſtatem legislativam in negotiis eccleſiaſticis inde ſibi arrogant, ſed duntaxat ad ſuum examen & extrajudicialem quandam notionem, ſive nudam & generalem inſpectionem eas revocari, prætendunt, priusquam in ſuis ditionibus & territoriis per modum legis promulgentur & executioni mandentur: aliud enim longè eſt, Principem ſe interponere promulgationi novæ legis per ſuas provincias, ejúsque executioni: & aliud velle judicare de ipſis Articulis & dogmatibus, ſivè quid credendum de fide ſit, vel non credendum, definire & determinare, ac canonem eccleſiaſticum circa res ſpirituales condere: illud purè externum, quod conſiſtit in promulgando, cogendo, pacem cuſtodiendo, in hacce materia à Principis officio haud alienum ab ipſis exiſtimatur. Et ſanè dum Principes etiam catholici nullum decretum Pontificium ſuis in ditionibus publicandum eſſe, prætendunt, priusquam in regiis Auditoriis fuerit viſum, & extrajudicialiter examinatum, & litteris, ùt vocant, *placet*, munitum; unicè intendunt præcavere, ne quidquam in ditiones ſuas ſub ob-

tentu novæ disciplinæ inducatur, quod paci publicæ obesse, jura temporalia statûs & privilegia provinciarum cum notabili populi perturbatione & publicis incommodis invertere possit. Tota perinde ratio, quoad placiti hujusmodi usum, fundatur in sola Ecclesiæ & reipublicæ protectione. Princeps quippe cùm suæ sibi commendatæ reipublicæ rector ac protector statûs ecclesiastici nec non reipublicæ spiritualis sit, ad ejúsque officium pertineat salus populi, quies & tranquillitas publica; per necessariam inde consequentiam sequi, contendunt, quòd iis omnibus in casibus, in quibus periculum est, ne sua turbetur respublica, vel notabile aliquod damnum patiatur, possit pro conservandis juribus statûs, nec non custodiendis intactis inveteratis provinciarum & Ecclesiarum rationabilibus consuetudinibus interponere œconomicè protectricem authoritatem, atque hâc suâ, ùt vocant, regaliâ eum in finem, sepositâ æmulatione, omni cum modestia & reverentia erga Ecclesiam & sedem Apostolicam uti.

XXV. Observandum ulteriùs est, quòd nonnunquam materia mixta sit, & rationes statûs publicas disciplinæ & politiæ ecclesiasticæ implicatas

catas ſimul habeat, eáque ſub vario reſpectu conſiderata à diverſis poteſtatibus, eccleſiaſtica & ſæculari pendeat; ſunt quippe certa negotiorum genera, in quibus id, quod ſpiritualem poteſtatem reſpicit, tantam cum civili ſive temporali adminiſtratione connexionem habet, ut leges eccleſiaſticæ effectum ſortiri nequeant, niſi aliqua reipublicæ regimini inferatur mutatio: hæres pertinent equidem ad poteſtatem ſuperiorum eccleſiaſticorum, quam Deus illis largitus eſt: verùm eædem ab illorum jurisdictione non pendent unicè, ſed & à Principibus, unde ad harum vel lationem vel ſaltem executionem Principum voluntatem & poteſtatem concurrere quis inficiabitur? neque enim religio evertit regionem, nec Chriſtus per ſuam Eccleſiam Principibus & Regibus eripit mortalia, qui regna dat cœleſtia. Quibus cohærenter nonnulli Reges & Principes, quamvis agnoſcerent liberéque faterentur, quòd ad ſe veluti magiſtratus ſæculares neutiquam pertineret ſtatuere pœnas, aut condere præcepta ſpiritualia causásque religionis decidere; judicium tamen coactivum ſibi aſſerebant & poteſtatem de actibus hominum, quantùm circa temporalia licitè vel illicitè facti vel omiſſi ſunt,

ſtatuendi, & per temporalem pœnam coercendi eos, qui in hoc ſæculo committunt illicita, ſub obtentu, quòd ſibi tanquam ſublimioribus poteſtatibus, & quia miniſtri Dei ſunt, vindices in iram, & non ſine cauſa gladium portant, in ſua ditione obtemperandum ſit; ideóque, cum cura tranquillitatis publicæ ſibi ſpecialiter commiſſa ſit, ac ipſæ perſonæ eccleſiaſticæ maneant adhuc cives & membra reipublicæ ac ſub tutela Imperii, delinquentes clericos, non ut clericos, ſed ut homines reipublicæ & ſtatûs politici turbatores & everſores propter tranquillitatem publicam, quæ finis Principum eſt, pœnis temporalibus coercere & plectere poſſint ac debeant, neutiquam hoc modo ſe tangere, minùs lædere uſum clavium & jus ſacrorum prætendentes, condeſcendente in materia hac diſciplinæ ob inevitabiles rerum & temporum vices Eccleſiâ.

XXVI. Atque ex his porro colligere pronum eſt, quâ ratione Imperatores & Reges ad conſtitutionem Epiſcoporum & eorundem inveſtituras olim admiſſi fuerint, & adhuc admittantur; indulſit quippe Eccleſia, ut ab Imperatoribus & Regibus nominarentur Epiſcopi, id eſt, deſignarentur perſonæ ad ſacrum Epiſcopatûs ordinem

canonicè promovendæ & conſecrandæ ex jure quodam patronatûs, cùm Epiſcopatus plerosque iidem erexerint, & prædiis ditionibúsque ſuis locupletârint, tuitíque ſint ab infeſtatione aliorum Principum, molitionibus potentiorum, & propulſarint incurſiones barbaricarum gentium. Neque facilè abſtinebant Imperatores poteſtate, quanta maxima ſibi permittebatur, propterea, quòd magni intereſſet, ut fidos ſibi & adſtrictiſſimos haberent Epiſcopos, maximè in Germania, & Gallia, quibus fiduciarias conferebant Imperii ditiones & provincias, & quos cum Principibus ſæcularibus habituri erant Imperii regendi convaſallos & adminiſtros; ad caſtra enim & ad militiam Epiſcopi Imperatoribus cum ſuis quique copiis militaribus ſeſe adjungebant; quippe non religionis tantùm erant munimenta Epiſcopatus & Abbatiæ, ſed & Imperii; eóque tempore res ad eum modum gerebantur, quo funditus non ſummoverentur ab Imperatoribus electiones Epiſcoporum canonicæ. Hinc attendas, quo ſe usque effundat providentiſſima Eccleſiæ indulgentia in chriſtianos Imperatores & Reges, qui forſitan ſibi pluſculum ſumpsêre, quàm per canones de jure ſtricto liceat in rebus ſacris & eccleſiaſticis, ſed eam poteſtatem totam

contulêre ad ædificationem Eccleſiæ, donando eidem præſtantiſſimos Epiſcopos; nimirum quamdiu juſtitia & majeſtas canonum honori fuit & curæ, de poteſtatis finibus nulla facta eſt religioſiſſimis Imperatoribus controverſia, nihil non ſummo defenſori ſuo ex puro zelo agenti, juráque Eccleſiæ & clavium ſupremam poteſtatem offendere neutiquam meditanti indulgente Eccleſiâ; viciſſim autem Imperatores & Reges, qui tantum ſibi ſumere videbantur in rebus & cauſis Eccleſiæ, plurimum & ipſis Epiſcopis in cauſis & rebus temporalibus tribuebant; eáque concordia, & communionis fautrix lex amicitiæ, jura, ùtùt diverſa & diſcreta, veluti communia faciens, accomodatiſſimæ erant, tum ad ſanctitatem Principibus, judicibus & judiciis civilibus, tum ad auctoritatem firmitatémque eccleſiaſticis vindicandam.

XXVII. Inveſtituræ quoque Epiſcopatuum per annulum & baculum paſtoralem ab Imperatoribus dabantur; quanquam autem ea forent ſymbola ſpiritualis poteſtatis, non eâ tamen ratione, quaſi Epiſcopi & paſtores eâ lege & conditione conſtituerentur, ut nonniſi de conſenſu & cum dependentia & authoritate Imperatoriâ aut Regiâ functiones ſacri ſui miniſterii exercere

poſ-

possent, ab his Principibus spectabantur probè gnaris, pastores in his Christi, non Principum ministros, nec ab illis delegatos esse, cum Apostolus 1. Corinth. 4. v. 1. apertè edicat: *sic nos existimet homo, tanquam ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*, & 2. Corinth. 5. v. 20. *Pro Christo legatione fungimur*: ergo tum radicalis potestas, tum legitimum ejus in sacris exercitium agnoscebatur à Spiritu sancto esse, qui *posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* Act. 20. v. 28. sapientissimâ verò œconomiâ dissimulabat Ecclesia eam alienam consuetudinem conferendi temporalia Ecclesiæ bona per symbola spiritualis potestatis, eoquòd illi religiosissimi Principes purissimo flagrantes Ecclesiæ zelo, & disciplinæ puritatis amore, utiles darent Ecclesiis pastores & gratis darent. At ubi non multò post occepêre Reges & Imperatores canonicas electiones proterere, nundinari Episcopatus, Episcopos obtrudere sacro ministerio impares, & tradendo annulum & baculum pastoralem potestatem spiritualem à se dari veluti significare, statim Pontifices & Episcoporum Concilia insurrexêre & injuriosum jus laicæ investituræ illis ademêre.

Ex quibus consequitur, quòd orthodoxi Imperatores & Reges, cum per Conciliorum canones & decreta iisdem liceret Episcopatus dare post electionem canonicam, adeò ut ordinatio sive consecratio retardata fuerit, donec Imperatorius vel Regius consensus & Episcopatûs dona impetrarentur, nihil referre crediderint, sive consensum ejusmodi, & Episcopatûs dona verbis, sive baculo & annulo manibus inserendo exprimerent, cum ne veniret quidem illis in mentem, dare Sacramentorum aliquid, aut potestatis sacræ, quam unicè à confirmatione superiorum ecclesiasticorum & manuum Episcopalium sacrâ impositione pendere, firmâ fide tenebant, sed mittere duntaxat vellent electum in possessionem omnium prædiorum, & quorumcunque temporalium bonorum, quæ Ecclesia Imperatorum & Regum munificentiâ & largitate consecuta est: ùt rectè advertit Ivo Carnotensis *epist. 258.* ibi:

„ cum post canonicam electionem Reges ipsos
„ Apostolicâ authoritate à concessione Episco-
„ patuum minimè prohibitos videamus. Le-
„ gimus enim sanctæ recordationis summos
„ Pontifices aliquando pro electis Ecclesiarum,
„ ut eis ab ipsis Regibus concederetur Episco-

„ patus„

„ patus, ad quos electi erant, interceſſiſſe; ali-
„ quorum, quia conceſſiones Regum nondum
„ conſecuti fuerant, conſecrationes diſtuliſſe:
& aliquantis interjectis: „ quæ conceſſio ſive
„ fiat manu, ſive linguâ, ſive virgâ, quid
„ refert? cum Reges nihil ſpirituale ſe dare
„ intendant, ſed tantum aut votis petentium
„ annuere, aut villas eccleſiaſticas & alia bo-
„ na exteriora, quæ de munificentia Regum
„ obtinent Eccleſiæ, ipſis electis concedere. „
Sive, ut brevi & nervosâ totam rem con-
ficit diſtinctione Goffridus Vindocinenſis in *opuſc.* ad Callixtum II. alia eſt inveſtitura, quæ Epiſcopum corporaliter paſcit: alia, quæ eundem ſpiritualiter perficit: hæc nimirum in collatione poteſtatis clavium per Sacramentum, Eccleſiæ miniſterio; illa verò in conceſſione poſſeſſionum & bonorum temporalium per arbitrarium ſymbolum à manu Regia contraditur.

XXVIII. Ex quibus deductis pronum eſt concludere, quòd Imperatorum & Principum prærogativæ Epiſcopatûs exterioris, quem ſibi aſſeruit Conſtantinus M., ut conſtat, ex *L. 4.* Euſebii *cap. 23. & 24.* ſupracitato, his verbis: „ Vos
„ quidem (Epiſcopi) in iis, quæ intra Eccleſiam,
„ ego verò in iis, quæ extra geruntur, Epi-

„ ſcopus à Deo ſum conſtitutus „ neutiquam invideamus, dummodo talis ſtatuatur, vigore cujus Imperatores & Principes in ipſa Eccleſiæ penetralia & præcordia non dominentur, ſtatuendo ſe religionis & fidei arbitros, & judices, aut ſupremos rerum eccleſiaſticarum dictatores & legislatores; enimverò ſi exteriores ſunt Epiſcopi, ergo interiorum, velut animæ & cordis ductum inſtinctúmque ſequantur, ſequantur, inquam, in ſumma rerum ſacrarum, & ſalutis negotiis, non præeant; protegant, non imperitent; exequantur & cuſtodiant, non leges ſacras dictent; id namque diſcriminis inter exteriorem & interiorem velut corpus & animam intereſſe æſtimatur, interior ut præeat & dictet, ſequatur & exequatur exterior. Ergo in exequendis judiciis & legibus Eccleſiæ, & foràs promulgandis authorandísque, in hoſtibus fidei ſubjugandis, in ſubjectis ſibi populis ad fidei ſymbola in ſacris Epiſcoporum Synodis concinnata, ad ſacrorum canonum cuſtodiam & pietatem colligendis Epiſcopatus ille exterior defungendus eſt. Atque eodem ritè defuncti Anteceſſores Imperatores & Reges, præterquam quòd inde Magni dicti ſint, unà cum inſignibus prærogativis præclaros

claros titulos, veluti Episcoporum, Ecclesiæ Advocatorum, Christianissimorum, Catholicorum, Apostolicorum, Defensorum fidei &c. promeriti nactíque sunt, & ad suos successores propagârunt, quibus etiam usque hodie non vanè gloriantur. En jus reformandi tot sæculorum & antiquum, quatenus id Pontificibus & Episcopis, & quatenus id sæcularibus Principibus proprium est, ex institutis & factis Christi, velut indubitanter legitimi Reformatoris, testimonio & exemplo Apostolorum, antiqua & continua Ecclesiæ praxi & usu rationabiliter hactenus deductum.

XXIX. Postremo tandem loco hæc colligenda & monenda duximus. 1. Nihil conducibilius, nihil efficacius est ad innumerabiles populos retinendos in officio justitiæ, pietatis & charitatis erga Deum & proximum, maximè verò observantiæ in ipsos Principes & Magistratus, quàm si authoritas & reverentia Sacerdotii & Cleri per ejus immunitatis & jurisdictionis tutelam sarta tecta servetur, ne ex eorum vilitate vilescat religio, rumpatúrque & dissiliat potentissimum populorum frænum, ac subruatur dignitatis & auctoritatis Regiæ inconcussum aliàs præsidium & fortissimum munimentum, quod ipsa-

met eſt religio. Unde 2. mirum non eſt, quòd Epiſcopis jurisdictio in cauſis non ſpiritualibus modò, ſed etiam civilibus clericorum, quia miniſtri Dei & Eccleſiæ ſunt, non ſolùm ad eorum corpora, ſed ad ipſorum etiam ſubſtantias pertinentibus tam ampla tributa fuerit, & quidem, ſicut quoad cauſas prioris generis ipſummet indubitanter habet Chriſtum Dominum authorem, ita quoad cauſas 2di generis ſummos ab ultima usque Eccleſiæ antiquitate Principes, Reges, Imperatores, Præſules, Pontificésque ſanctiſſimos ejus authores, vindices, fautorésque numeret, & ex vetuſtiſſima conſuetudine ac præſcriptione in plurimis regnis firmam adhucdum teneat poſſeſſionem, quamvis ultrò fateamur & omnibus in confeſſo ſit, potiorem Epiſcoporum curam eſſe animarum culturam, quàm fori adminiſtrationem. 3. Sacra ſi ſpectetur paſtorum auctoritas, ſuprema eſt & independens à civili regimine, ad cujus quoque reverentiam profani Principes ſeſe inclinant, ab eáque tum ſibi, tum ſuis ſubditis normam accipiunt ad altiſſimum hominis chriſtiani finem proſequendum. Profana è diverſo & Principum in ſuo genere ſuprema eſt, cum ejus nutui provinciæ & legiones ſubdantur.

tur. 4. Dum Ecclesiæ potestas intra recti fines se continet, meritò à profana formidatur: nam si non semper, saltem sæpe populorum veneratio, quâ religionem colit, & plus vatibus, quàm ducibus credit, validum quoddam justitiæ præsidium est in animis dominantium, ne sacræ potestati insultent. Contra verò si præses ecclesiasticus auctoritate suâ per injuriam adversus Principum potestatem abuti vellet, veneratione in odium vel detestationem commutatâ, à populis desereretur, & ita ejus potestas non emineret ampliùs, sed tanquam per se inermis contempta facilè jaceret; atque ejusmodi temperamentum utrique potestati conducit. Hinc 5. cuicunque prudenti Principi non molestum, sed gratum esse debet, se fræno quodam contineri, ne tanquam homo præceps agatur, quo effrænatæ potentiæ libido homines aliàs trahere solet: quod frænum non prodest solùm, ne veram religionem & charitatem in Deum hominésque perdat, sed etiam ne tranquillitatis publicæ, imò ipsius subin principatûs amittendi periculum incurrat, quippe qui remoto pariter sacræ auctoritatis obstaculo diu cum petulantia firmus non perstat: simul etiam, uti jam dictum est, hoc

eodem

eodem fræno populi longè validiùs obſequio Principis obſtringuntur; eáque propter multò minus conjurationum ſeditionúmque inter Principatus Catholicos efferbuit, quàm in iisdem regionibus, ubi paganorum & infidelium ſuperſtitio, aut religionis libertiniſmus dominabatur. 6. Hinc verò dum ſacri præſides intelligunt, ipſorum poteſtatem, quantum attinet ad uſum, populorum veneratione maximè inniti, commonentur, ut eam venerationem morum integritate ſibi conſervent, ſéque ab omni eo, quod immoderationem, violentiámque præſefert, prorſus abſtineant. 7. Huc accedit ad Principis cautionem, quòd civitatum ei ſubjectarum præſules plerumque ſeligantur ex familiis ditioni ſuæ ſubjectis, vel ab ipſomet ad Tiaras nominati, vel eidem gratioſi, quódque eccleſiaſtici cum eo pariter connectantur pluribus humanis nominibus, originis, accepti beneficii, utilitatis &c. adeóque ab eorum ſeu vi, ſeu voluntate nihil ſibi metuendum eſt, niſi ubi palam à Deo ipſe deſciverit: quin etiam ipſorum operâ, tanquam qui ſunt pacis ſtudioſi, & auctoritate pollentes, cæteri bellicoſiores & inſolentiores in quiete & officio continentur. 8. Hinc pariter evenit, moleſtiam

leſtiam Principibus non exhiberi à poteſtate, quam ſummus Pontifex circa ſpiritualia in illorum ditionibus obtinet: hæc enim ſimiliter inermis eſt, & homines Eccleſiæ mancipati, qui tandem ab ea maximè pendent, validiſſimis vinculis clientelæ profano Principi obſtringuntur, adeóque non niſi manifeſtâ conſcientiæ lege compulſi ad illi ſeſe opponendos convenient. Summi verò Pontifices, utpote orti plerumque privatis natalibus, profeſſione togati, ætate frigentes, ſæpiúsque eorundem Principum ſtudiis evecti, modicæ reſpectivè miniméque hæreditariæ temporalis ditionis poſſeſſores rarò inducunt animum ad ſuſcipienda ſeu continuanda vaſta, inquieta & periculoſa conſilia. 9. Quamvis autem hæc omnia perinde ac reliqua moralia, & quæ pendent ab humani arbitrii varietate, nec omnino certa in cunctis eventibus concurrant, nec vim obtineant ineluctabilem ad permovenda cuncta ingenia, ut proinde interdum profani Principes impetum quorundam Epiſcoporum aut per ferociam quorundam Pontificum moleſtiam aliquam experti ſint; tamen quis ſapiens & rerum ſtatûs peritus arbitretur, procul arcendum tanquam perniciоſum, quidquid interdum

 nocet

nocet, tametſi veriſimilior & frequentior ſit ejusdem utilitas? id ita ſi foret, oporteret, ut Principes ſuos milites exarmarent, præſidiáque dimitterent, ob exempla multorum dominantium, qui à ſuis præſidiariis oppreſſi & ſceptrum & vitam perdiderunt. 10. Hæc igitur & alia rationum momenta ſunt, ob quæ per tot jam ſæcula Eccleſiæ regimen perdurat, nec in poſterioribus planè ſoluta eſt Sacerdotii & Imperii concordia; neque licita & efficacia media defuerunt, nec hodie deſunt, quin absque ruptura, diviſione & totali ſeceſſione hujus ab illo impleatur & jugiter obſervetur illud Chriſti præceptum: Reddite Cæſari, quæ ſunt Cæſaris, & Deo, quæ ſunt Dei; cujus ſumma ratio totius diſſertationis ſcopus eſt &

FINIS.

)o(

CO-

COROLLARIA
EX
JURE UNIVERSO.

EX JURE NATURÆ & GENTIUM.

I.

RECTÈ ad objectum juris naturæ reducitur omne & solum id, quod simpliciter & necessariò conducit esse licitum vel vetitum pro felici & tranquillo humanæ conditionis statu.

II.

Jus naturale quoad universalia sua principia omnibus obvium est, in conclusionibus verò particularibus mediatè deducibilibus ratio humana sine medio divinæ revelationis sæpius hallucinatur; unde decalogus certa ratio est à posteriori edocens, quid naturaliter justum vel iniquum sit.

III.

Non solùm illicitos, sed & quosdam irritos actus jus naturale facit.

IV.

Quod propriè mutari non potest, impropriam tamen mutationem recipit in materia, quæ divinæ voluntati, aut humanæ potestati subjecta est.

V.

Effectus, qui humanas conventiones sive pactiones comitatur, est obligatio, firmiter servandi & custodiendi fidem deliberatè & mutuò datam, quæ ex jure naturali ita pullulat, ut à Catholicis obligata Hæreticis per nullam Pontificis potestatem tolli possit.

VI.

Jus naturale adæquatè distinguitur à Jure Gentium.

VII.

Regnorum vindicationes & actiones Regales non ita æternæ sunt, quin præscriptione inter personas publicas tolli possint.

VIII.

Juramentum de non alienando Regibus justæ necessitatis causâ adactis non obstat.

IX.

Vis & metus fœdera publica irritare & infirmare non possunt.

X.

Regna transeunt in qualescunque successores eo affecta jure, pacto publico sive fœdere, quo apud Antecessorem fuerunt, nisi conditiones merè personales fuerint.

EX

EX JURE CANONICO.

I.

Regimen Ecclesiæ hierarchicum divinitùs institutum & in Primatu D. Petri fundatum, non purè monarchicum, sed Aristocratiâ temperatum est.

II.

Episcoporum potestas, tum ordinis, tum regiminis quoad substantiam est immediatè juris divini, atque ex eodem presbyterorum potestate utraque superior est.

III.

Est plenaria, libera & solida in diœcesi, subordinata Canonicæ summi Pontificis determinationi, & Primatûs salvis reservatis.

IV.

Hæc ex jure proprio, radicali & intrinseco ab Episcopis exercetur, & derivata & dependens est à sacra consecratione, proin nullâ præscriptione in Prælatum inferiorem transferibilis.

V.

Exemptiones præsertim totales utriusque Cleri à jurisdictione Episcopi recentioris omnino sunt disciplinæ, per decem sæcula & ultra ignotæ & contra disciplinam antiquorum Canonum introductæ; proinde sicut salubberrimè à Concilio Tridentino reductæ & reformatæ sunt; ita jurisdictionis amplius exercitium Episcopis postliminiò restitutum fuit; de

quo dignè ſenſit S. Franciſcus Saleſius in Ep. ad ſuum confratrem lib. 1. epiſt. 30. In hoc maximam eſſe gloriam Dei, quòd ordo Epiſcopalis agnoſcatur, qualis eſt; quodque muſcus ille exemptionum ab Eccleſiæ arbore ſit avulſus, in qua tantum mali fecit.

VI.

Obligatio à ſacris Canonibus fidelium offerentium intentioni conſentaneè & conſtanter aſſerta, expendendi proventus Eccleſiaſticos ſuperfluos in cauſas pias, maximè pauperes, non pertinet ſolùm ad Clerum ſæcularem; ſed vel maximè ad regularem, ad Prælatos videlicet & Collegia religioſa juxta illud Chriſti: Vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.

VII.

Atrocitas criminis ſimoniæ, licet inferatur ex rerum ſpiritualium depreſſione, & irreligioſa commutatione, magìs tamen, imò maximè circa ſacras ordinationes, electiones & collationes dignitatum & beneficiorum eccleſiaſticorum, item admiſſionem ad religionem ex peſſimis effectibus & deordinationibus inde in Eccleſiam redundantibus deſumenda, & cum multis technis communiter involvi illa ſoleat, diſcernenda venit ex Chriſti præcepto: gratis accepiſtis, gratis date.

VIII.

VIII.

Non potest dari solida ratio, cur in receptione ad Canonicatum ex pacto pretium temporale citra simoniam intervenire nequeat, si in receptione ad religionem, saltem ubi monasterium sufficienter dotatum est, ex stipulatione pretium temporale sinè labe simoniaca exigi possit.

IX.

Sicut asserimus, valere statutum, quo Princeps sæcularis ex justis & publicis causis prohibet, ne sinè sua venia passim bona immobilia ad monasteria, aliásve manus mortuas transferantur; ita è converso illicitum censemus illud, quo liberi à Parentibus vel propinquis eo modo in claustris projiciuntur, quo catuli & porculi, videlicet portione hereditariâ, imò legitimâ indiscriminatim privantur eo ex fine, ut illi, qui in sæculo remanent, unicè & superabundanter ditentur.

X.

Leges sive statuta sæcularia, quæ novis tributis & exactionibus bona ecclesiastica ad congruam pastorum animarum necessaria gravant, gravissimè adversantur immunitati Ecclesiasticæ & quidem jure divino constitutæ.

XI.

In bonis Ecclesiæ, maximè parochialis, dotalibus nulla obtinet præscriptio.

XII.

XII.

Usuræ propter excessum, sive quæ dicuntur mordentes, jure naturæ & divino absolutè prohibitæ sunt; proin moderatæ accedente lege publicâ licitæ fieri possunt.

EX JURE PUBLICO.

I.

Jus reformandi antiquum, quod ex Jure divino & constanti traditione Imperatori, Regibus & Principibus sæcularibus competit, fundatur in solo munere advocatiæ & protectionis orthodoxæ religionis & Ecclesiæ.

II.

Jus Reformandi novum ex usitata in Imperio praxi cum jure territorii exercitium juris sive imperii circa sacra complectitur.

III.

Unde jus diœcesanum Episcoporum in territoriis Dominorum Protestantium inque eorum subditos ejusdem religionis suspensum est; id quod non obtinet in territoriis Statuum Catholicorum, ubi antiqui diœcesium & totius Ecclesiasticæ jurisdictionis termini immoti remanserunt, imò ejusdem juris quoad usum fit revivisentia, quando dominus Protestanticus ad antiquam religionem revertitur.

IV.

IV.

Usus ejusdem juris circa sacra in subditos Augustanæ Confessioni addictos sive Reformatos Domino Territoriali Catholico non minùs, ac Protestantico competit.

V.

Jus Reformandi constanter pro regula, annus verò decretorius 1624. non secundùm nudum habitum, sed juxta actum possessionis ejusdémque mensuram pro exceptione statuendus est.

VI.

Unde Principi vel Domino Territoriali innoxium simultaneum religionis exercitium introducere liberum & integrum est.

VII.

Princeps Imperii ecclesiasticus sicut præeminentiâ, ita non minùs regiminis authoritate, quàm Princeps secularis, gaudet.

VIII.

Sicut Episcoporum Germaniæ, eoquòd simul Imperii Principes sint, exterioris politiæ Ecclesiasticæ ratio cum illa Episcoporum v. g. Italiæ aut Prælatorum regularium non omnino communis & commensuranda, sed eminentior est; ita illorum potestas regiminis publici normáque disponendi circa

temporalia, maximè territorialia, regalia hisque annexa non tam ex jure Canonico & Justinianeo, quàm præprimis ex legibus, moribus, & formâ Imperii, exemplóque aliorum principum sæcularium dimetienda est.

IX.

Principes Imperii, cum judicent per Magistratus subalternos & Collegiata dicasteria, & propterea adsit discretio inter judicem & partem, quam repræsentat fiscus, in propria causa judicare non censentur.

X.

Non tantùm pro bono Ecclesiæ, sed & Imperii pertinax illa controversia de investituris Principum Ecclesiasticorum inter Callixtum Papam I. & Imperatorem Henricum V. composita & Sacerdotium cum Imperio concordatum est.

EX JURE CIVILI.

I.

Contra sententiam arbitri compromissarii locus reductioni ad arbitrium boni viri non est.

II.

Judex sicut ex officio supplet, quæ jura partium concernunt, si tamen juri communi conveniunt, nisi horum omissio tacitam renuntiationem in se contineat; ita & circa facta supplere & eorum rationem

nem habere debet, si de iis ex actis appareat, etiamsi à parte non allegentur.

III.

Licet juramentum calumniæ per procuratorem præstari possit, Judex tamen, ut à principali præstetur, ex justis causis imperare, sicut & illud remittere potest, non verò partes, saltem expressè.

IV.

Spoliationis quæstio etiam intentatur per modum actionis summariæ nullâ admissâ exceptione, tam contra spoliatorem, quàm contra tertium spolii conscium, non verò tertium bonæ fidei possessorem.

V.

Confessio qualificata dividi, & proparte acceptari nequit.

VI.

Confessio Clerici coram Judice laico velut incompetente non est in totum nulla.

VII.

Actor, si nihil probavit, nec præsumptione adjutus sit, reo potest deferre juramentum judiciale.

VIII.

Regalia à subdito vel privato nullâ propriâ præscriptione acquiri possunt.

IX.

Auctoritas rei judicatæ in utroque foro irretractabilis est.

X.

Libertas appellandi & recusandi in foro Canonico etiam contra jus civile labentibus sæculis non sine gravissimis querelis nimiùm extensa meritò à posterioribus constitutionibus & moribus restricta fuit.

EX JURE FEUDALI & CRIMINALI.

I.

Clerici seculares hodie feudorum etiam antiquorum in Germania capaces sunt.

II.

Quamvis feuda Ecclesiastica per Germaniam peculiaribus regantur consuetudinibus, jura communia feudalia tamen deficiente consuetudine suo modo ad hæc feuda applicari possunt & debent.

III.

Principatus Episcopatibus Germaniæ innexi quoad certos juris effectus rectè bona Ecclesiastica appellantur.

IV.

Duplex illud Proverbium: Unter dem Krummen Stab ist gut wohnen, item: Mit St. Peter

ist

ist gut handlen, *feuda Episcopis Germaniæ oblata maximè respicit.*

V.

Felonia à Prælato commissa non nocet Ecclesiæ, nec feudum majus & regale Imperii ad tempus vitæ Prælati delinquentis tolli Ecclesiæ potest.

VI.

Prælati in Germania jurisdictione criminali præditi possunt officialibus suis exercitium judicii sanguinis committere & committunt absque metu irregularitatis.

VII.

Exemptio Clericorum à jurisdictione laica criminali gravissimis causis innititur.

VIII.

Ecclesiæ judicandi authoritas se extendit in crimina quælibet laicorum, sed magis in ratione Sacramentali ad purgationem delictorum, quàm modo omninò forensi ad meram vindictam.

IX.

Excommunicatio ex verbis Christi excludit ab iis tantùm, quæ fidelibus competunt ùt membris Ecclesiæ; unde exclusio eorum à communione in civilibus est tantùm juris politici ecclesiastici.

X.

X.

Censuræ Ecclesiasticæ à legitima potestate servato per omnia præscripto juris ordine, non levi de causa, sed juxta evangelicas & canonicas regulas inflictæ magnopere sunt timendæ; palam vero extra formam juris levibúsque de causis promiscuè comminatæ aut inflictæ negligi quidem possunt; in dubiotamen, & si ex parte causæ duntaxat injustæ credantur, contemni nequaquam debent.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Barthel, Johann Kaspar,

Diss. prior inaug. de iure reformandi antiquo, ex ordinatione divina, primigenia ecclesiae praxi, et continua eiusdem traditione deducto

Wirceburgum 1744

4 Diss. 1627#Beibd.3
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10817950-6
VD18 14827298-001